Ambrosius Besutius Del: Paulus Blancus Mediolan: Sculp:

CAROLI NICOLAI LANGII
Lucernenſ. Helvet. Phil. & Medici
Acad. Cæſ. LEOPOLD. Nat. Curioſ. German. & Phyſio-Crit. Senenſ.

HISTORIA
LAPIDUM FIGURATORUM
HELVETIÆ,
EJUSQUE VICINIÆ,

In quâ non ſolùm enarrantur omnia eorum
GENERA, SPECIES ET VIRES
ÆNEISQUE TABULIS REPRÆSENTANTUR,
Sed inſuper adducuntur eorum
LOCA NATIVA,
IN QUIBUS REPERIRI SOLENT,
UT CUILIBET FACILE SIT EOS COLLIGERE, MODO ADDUCTA LOCA ADIRE LIBEAT.

VENETIIS MDCCVIII.

Sumptibus Authoris, Typis Jacobi Tomaſini,
SUPERIORUM PERMISSU.
Lucernæ, apud Hæredes Gottofredi Hautt,
& Joannem Jodocum Halter.

Multa fecisti tu Domine Deus meus mirabilia tua: & cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi. *Psal. 39. v. 6.*



AMPLISSIMIS
INCLYTÆ REIPUBLICÆ LUCERNENSIS
PROCERIBUS
PATRIÆ PATRIBUS.

Carolus Nicolaus Langius Felicitatem.

Mans Patriæ civis, AMPLISSIMI PROCERES, non ſolùm tenetur ejusdem bona jamjam nota quocunque poſſibili modo tueri & excolere, ſed inſuper omni conatu eò anniti debet, ut nova acquirantur & detegantur bona, qui-

bus ſalus Patriæ de die in diem magis accreſcat; Hoc autem præſtandum erit cuilibet in ſuâ vocatione, ad quam Deus illum creavit: Quod diu mecum animo peragens tandem Hiſtoriam Lapidum Figuratorum Helvetiæ noſtræ conſcribere decrevi, utpote qui in regionibus noſtris frequentes ſunt, & à pauciſſimis hucuſque deſcripti, ac præterea mirabili ſuâ ſtructurâ mirabiles quoque latentes virtutes nobis promittunt, quæ ad ſolatium noſtrorum municipalium gravi morbo detentorum conducere poterunt. Hanc qualemcunque vobis, AMPLISSIMI PROCERES, offerre humiliter mihi liceat, conatumque, impenſos labores & ſumptus infimi veſtri civis non dedignemini, rogo; eſtis enim ſoliciti Patriæ Patres, quibus nil magis cordi eſt, quàm ſuorum ſalus, & omne id, quod ejus conſervationem ſtabilire videtur. Hoc nos omnes quàm maximè experimur, dum diſponente veſtrâ prudentiâ, ſolicitudine & amore

altâ

altâ fruimur pace eo tempore, quo omnes Helvetiæ nostræ vicinæ regiones immiti excruciantur Marte. Valete, & adhuc diu ad Patriæ incolumitatem incolumes vivite, meaque studia potente vestrâ, quâ polletis, Gratiâ & Autoritate fovete.

PRÆFATIO

IN lucem demum prodit, Amice Lector, Hiſtoria Lapidum Figuratorum Helvetiæ noſtræ in Ideâ meâ ante duos annos editâ promiſſa, quam lubenter citiùs paraſſem, niſi plura adhuc priùs enucleanda ac ſuperanda fuiſſent; quamvis enim in eâ ſolummodò tractetur de Lapidibus Figuratis, cùm tamen hi figurâ ſuâ præſeferant infinita corpora naturalia tam è Regno Animali, quàm Vegetabili deſumpta, eorumque origo & lapidea metamorphoſis necdum nobis perſpectè ſit cognita, multus denuò deſiderabatur labor ad eos ritè deſcribendos, & quidquam probabile de eorum productionis modo ſtatuendum, de quo etiamnum inter modernos Philoſophos dura viget diſceptatio.

Jam intellexeris è præmiſsâ ideâ non ſolùm methodum & ordinem, quem in præſenti Lapidum Figuratorum Hiſtoriâ obſervo,

ſed

ſed inſuper Patriam meam majori ex parte ſaxoſam mihi primam & præcipuam præbuiſſe anſam illam conſcribendi, nec minorem ſtimulum hoc tenue opuſculum abſolvendi me contraxiſſe è frequenti Elegantis Tractatus de Cochlitis &c. Angliæ *Præclari Viri D. Martini Liſteri* lectione, ac emolumentum, quo faciliùs Lapides Figuratos in ſua genera diſtribuerem. Similiter fateri cogor, me non parvum lumen hauſiſſe ex inſigni Lithophylacio Britannico *Celebris Viri D. Eduardi Luidij*, quo potiſſimum Lapides Figuratos in ſuas debitas claſſes diſtinxi, plurimorumque analogiâ clariùs cognitâ ad ſua corpora reduxi : è pluribus demum Authoribus plura addidici, quos in particulari materiæ deſcriptione diligenter adnotatos invenies.

Magnam verò occaſionem præſentem tractatum perficiendi mihi ſuppeditavit Ill^{mus} & Excell^{mus} D. FRANCISCUS HONORIUS COMES DE TRAUTMANSDORF ad Reſpublicas Helveticas Orator Cæſareus Extraordinarius magnus Muſarum Patronus, ſtudijque lithologici ſummus Amicus, qui, ut animum ſuum gravibus tanti miniſterij curis quandoque defatigatum leniter demulceret, Lapides Figuratos amicorum ſuorum ope per integram Helvetiam colligi, ſibique transmitti curavit, quos ejusdem

juſſu

jussu in ordinem, quem præ manibus habes, redegi, ita ut præsens Lapidum Figuratorum descriptio bono jure Museum Lapideum Trautmansdorfianum nuncupari posset, cùm pleraque & præcipua expositorum lapidum pars in illo quoque contineatur.

Unde autem lapides magis notabiles in hâc Historiâ descripti transmissi fuerint, & quis eos communicaverit, in quâlibet eorum specie memoravi; minimè verò silentio prætereundum est, quàm plures fuisse donatos ab Jll^ri^. & Magnifico D. PETRO VALKENIER Præpotentum Belgij Ordinum ad Respublicas Helveticas Ablegato Extraordinario, qui, prout in omni scientiarum genere versatissimus existit, in hoc tamen studio lithologico, quantum negotia tam conspicui officij permittebant, majorem semper adhibuit attentionem, ut animum quandoque curis gravem suavi hac meditatione sublevaret.

Præter enumerationem classium, generum & specierum Lapidum Figuratorum Helveticorum quandoque classi aut generi etiam subjunxi descriptionem alicujus lapidis exotici, vel ob affinitatem, quæ in eo cum præcedentibus speciebus propter similitudinem structuræ & figuræ observatur, vel etiam ob aliquam peculiarem virtutem, quam

possidere

possidere creditur, & propterea in nostris regionibus à pluribus expeditur, & agnoscitur.

In designandà generis alicujus Lapidum Figuratorum notâ characteristicâ eam proponere semper studui, per quam mihi videbatur, ab omnibus alijs generibus posse sufficienter distingui, cùm verò nota characteristica illorum lapidum, qui conchas marinas præseferunt, ab his derivari debuisset, & quandoque nullam certam in Authoribus deprehendere potui, sæpius nova excogitanda mihi fuit, quâ, si justa judicetur, mecum frui non dedigneris, si autem erroneam agnoveris, benevolo animo corrigas, utpote inventam á viro, qui longinquus à mari immensum ejus supellectile vix admirandi occasionem habuit, multò minùs cognoscendi, & illud in suas classes ac genera distribuendi. Hoc tamen per illud breve tempus, quod apud mare degi, observare mihi licuit, infinita ejus producta, præsertim autem conchylia in longè perfectiorem potuisse redigi ordinem, quàm hucusque actum est, etiamsi Clarissimi Viri de hac materiâ jam copiosam scripturitionem fecêre, sed pensum hoc Philosophis in hoc scientiarum genere versatioribus discutiendum relinquo.

Quod admirandam Lapidum Figurato-

rum ſtructuram attinet, illorum generationem in genere præſertim eorum, qui ad certa corpora marina reduci poſſunt, in parte tertiâ hujus Tractatus, prout tenues meæ vires permittent, exponam; reliquorum autem productionis modum, variamque ſtructuram tam internam, quàm externam cum ſuis coloribus, armaturis, & ſi quæ alia ſint accidentia illos concomitantia in quâlibet claſſi, vel etiam genere, ſi opus videbatur, explicavi, fundando omnes mentis meæ rudes conceptus ſupra prima principia de generatione lapidum in *Partis primæ lib. 1. cap. 5.* hujus Tractatus adducta, licèt forſitan quoque incongruè ſtabilita.

Quoad virtutes Lapidum Figuratorum, cùm hi hucuſque à pauciſſimis cogniti ſint, & illæ inſuper per ſimplicem experientiam indagandæ, non mirum erit, etiamſi paucæ recenſendæ veniant; plures quidem ijs adſcripſerunt Veteres; verùm cùm potiùs ſuperſtitioni (cui cæca antiquitas quamplurimùm dedita erat) quàm veræ rationi & experientiæ inniti videantur, eas conſultò omiſi, addendo tantùm illas, quæ à Practicis fide dignis celebrantur, & veræ rationi minimé repugnant.

Plura adhuc de lapidibus addi potuiſ-

ſent-

ſent, cùm autem præſens tractatus in nimis amplum volumen accreviſſet, & inſtituti mei eſſet, tantùm de Lapidibus Figuratis Helvetiæ noſtræ diſſerere, ſufficit pronunc, ea ſolummodo breviter indigitare, quæ ad completam Lapidum Hiſtoriam denuò deſiderari videntur, & tractu temporis à doctioribus Philoſophis deſcribi poterunt, aut, ſi Deo placuerit, magis vulgaria ipſemet pertractabo.

Inter hæc primò occurrit arena, de quâ pauciſſima proſtant, & ſtatim quæri licebit, utrum naturaliter in ſimpliciora principia reſolvi poſſit, vel an à Summo Creatore in primordijs mundi formata fuerit, ut ſit primum omnium lapidum principium, è quo hi producantur, & in quod iterum ultimò reſolvantur: Dein poterit arena dividi in foſſilem, fluviatilem, & marinam, inter quas arenæ ſpecies non parva deprehendetur differentia tam quoad colorem & figuram, quàm quoad diaphaneitatem vel opacitatem; ultimò demum inſtituenda erit deſcriptio lapidum arenaceorum, eorum ſcilicet, qui è ſimplici arenà conſtant, & in eam facili negotio diſſolvuntur, quâ occaſione ſimul eventilandum erit, utrum ſtrata arenarum in ſummis montibus quandoque apparentia ſint certa inditia Aquarum Diluvialium alpes olim occupantium, & utrum ab his formari potuerint.

Poſt arenam lapideſque arenaceos conſiderandæ veniunt infinitæ & diverſiſſimæ ſilicum ſpecies, quæ colore, venis, figurâ, magnitudine, diaphaneitate, & gravitate ac duritie ſæpius inter ſe quàm maximé differunt, hinc cauſæ examinandæ, unde tantæ diverſitates dependeant. Cæterùm de ſilicibus ſubrotundis & lævibus in ſummis alpibus, per quos nimirum nullus rivulus excurrere poteſt, quæri ſolet, utrum ita læves & ſubrotundi generari queant, vel an aſperi & inæquales primò producti, dein à fluvijs lævigati & rotundati mediante Diluvio ad alpes translati fuerint?

Silices ſequuntur deſcribendi lapides calcarij propriè dicti, in quo ſolo nimirum generari ſoleant, quot eorum dentur differentiæ tam quoad ſubſtantiam quàm quoad colorem, reliquaque accidentia lapidibus communia, & qui ad calcem conficiendam meliores exiſtant.

His ſuccedunt lapides fiſſiles, quorum diverſitas magna eſt quoad colorem, duritiem, ſtructuram, & ſitum intra terram, quomodo generentur, ut tam faciliter in millenas & ſæpius quàm maximas laminas findi queant.

Conſideratis lapidibus fiſſilibus multivaria rupium & ſaxorum genera obſervanda

da forent, quæ sæpius diversimodè differunt secundum varium eorum situm, prout nimirum Septentrionem, aut Meridiem spectant, in alpibus & locis sublimibus, aut demissis collocata sunt, vel integras rupes, aut tantùm fragmenta quædam constituunt, quænam verò sit eorum structura interna, non rarò haud parum à superficiè externâ & aeri expositâ diversa, intra cavernas montium explorari debet. Inter saxa quoque observandæ erunt innumeræ marmoris species colore, venis ac duritie inter se distinctæ. Denique circa saxa hoc potissimum admirandum occurrit, quòd quandoque summa rupium, altissimorumque montium cacumina in mera frusta lapidea divisa observentur, & insuper nonnunquam in planitie quâdam, vel etiam collibus ab editioribus locis longissimè dissitis, vel per valles ab ijs separatis fragmenta quædam, seu frusta saxea ingentis magnitudinis ad aliquot cubitos alta & lata sita deprehendantur: quomodo antedictæ divisiones durissimis rupibus fuerint illatæ, & descripta rupium fragmenta ad hujusmodi loca delata magno sanè studio inquirendum mihi videtur: Etenim hoc modo & hujusmodi in locis fuisse generata vix credendum puto, cùm verissima rupium fragmenta præseferant.

Præterea describendi forent pyritæ tam lapidei, quàm metallares colore, duritie, structurâ & figurâ inter se diversi.

De lapidibus pretiosis jam plures celeberrimi Authores scripserunt, sed de fluoribus ad illos colore aut substantiâ accedentibus hucusque pauci mentionem fecère.

Demum conscribendi erunt lapides, qui desumuntur ex animalibus volatilibus, terrestribus, aquatilibus & insectis, quibus addenda nonnulla corpora, quæ de lapideâ & metallicâ substantiâ simul participare videntur cum descriptione plantarum marinarum, quæ ad naturam lapideam proximè accedunt, & ideo Lithophyta dicuntur.

Hæc sunt, Amice Lector, quæ te in præsenti præfatione monere volui, & in sequenti tractatu tibi perlegenda occurrent, in quibus, licèt solummodo materiam lapideam evolvant, non minorem naturæ operandi segetem invenies, ac in alio rerum naturalium regno hucusque perspecta est, quam si ruditer expositam, & tamen publico juri traditam miraberis, altioraque naturæ mysteria minùs congruè ac strigosè interpretata offendas, benevolo & tranquillo animo errores aut corrigere, aut condonare placeat; languido enim meo judicio, ingenioque hebeti ac animo

 multis

multis curis & copiosâ praxi quasi obruto congesta puta, & insuper nullâ amicorum ope sed tenuibus solùm fortunæ meæ viribus promota, hunc tantùm in finem, ut tædiosa vitæ hujus momenta suavi hâc contemplatione mitigarem, & simul Patriæ meæ per tam copiosam diversissimorm lapidum exhibitionem campum aperirem, plura adhuc longè mirabiliora investigandi, quæ demum ad magnam ægrorum utilitatem dirigi poterunt, si nimirum ex ijs attentiùs consideratis, & per analisin chimicam resolutis tales virtutes emergant, & prodantur, quæ ad quam plurimos mortalium morbos fugandos, radicitusque exstirpandos mirè proderunt; conatum itaque meum qualiscunque sit, æqui boniqúe consule, minimè dubitans, si majori fortunâ ac ingenio dotatus fuissem, tibi quoque opus longè perfectius pulchrioribusque iconibus adornatum comparassem.

Ad Bibliopegum.

Hic monendus est propter dispositionem Iconum in hoc Libro contentarum, quæ vel simul in fine libri poni poterunt, vel hinc inde inter scripturam ipsam misceri; ut nimirum figuræ lapidum descriptioni proximæ sint. Si primo modo colligari debent, tunc Icones in ordinem redigendæ sunt secundum numerum intra marginem contentum; si verò secundo modo, tunc numerus extra marginem Iconum notatus paginam ejusdem numeri respicere debet; Icon parva autem salium figuras exhibens semper juxta paginam 6. ponenda est.

IN-

INDEX
CAPITUM.

PART. I. LIB. I.

PART. I. LIB. II.

PART. II. LIB. I.

PART. II. LIB. II.

PART. II. LIB. III.

PART. II. LIB. IV.

II.

PART. II. Lib. V.

PART. II. LIB. VI.

PART. II. LIB. VII.

PART. II. LIB. VIII.

NOMINA

NOMINA LAPIDUM,
QUORUM IN HOC LIBRO FIT MENTIO.

D.

E.

Echi-

Pecti-

Teſſera

Namen

Namen
Der Steinen
Von welchen in disem Buch meldung geschicht.

Schoß-

W.

HISTO-

HISTORIÆ
LAPIDUM FIGURATORUM
HELVETIÆ, EIUSQUE VICINIÆ.

PARS I.

De Lapidibus Vulgaribus & Figuratis in genere.

DEcreveram impresentiarum de Lapidibus Figuratis solummodo tractare, verùm, cùm horum natura integrè cognosci nequeat, nisi prius exponantur proprietates, quas cum aliis lapidibus communes habent, descriptionem Lapidum in genere, principiorumq; eos constituentium huic tractatui præmittendam censui, quem in finem sit.

LIBER PRIMUS.

DE LAPIDIBUS VULGARIBUS IN GENERE.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Lapis, ejusque generandi modus.

PEr Lapides Vulgares intelligi eos, qui passim obvii sunt, & in pluribus locis frequenter ac copiosè nascuntur, ita ut ferè cuilibet noti sint, nemo ignorat. Lapis verò in genere definitur, quod sit: Minerale durum, grave, nec ductile, nec in aquà solubile. Potissima lapidearum coagulationum causa est sal partim nitrosus, partim acidus in aquà, vel in aëre delitescens, qui mediante alterutro, vel utroq; vehiculo simul poros liquoris, aut luti viscosi subit, in iis figitur, & accedente humiditatis evaporatione unà cum luto in coagulum lapideum exsiccatur,

Definitio Lapidis. Eius causa præcipua est sal.

Aer ambiēs petrificationem promovet.

catur; aër enim ambiens à vapore aquæ magis distensus massam vicinam comprimit, salem in intima spatia ab humore relicta vi quàdam impellit, & cum contentis sulphuris ramusculis ita involvit, ut porrò à reliquà massâ non nisi potentissimo igne separari queat.

Ad formādum lapidē tria cōcurrunt.

Tria itaque ad formandum lapidem concurrunt: Sal in convenienti vehiculo fusus; Liquor terrestris viscidus, ac demum partium proportionata configuratio, & coaptatio.

Quorū omnium fluiditas requiritur.

Ut autem hæ partes ad constituendam substantiam lapideam requisitæ intimè sese penetrent, conjungantur, & debitè coaptentur, fluiditas omnium, vel sanè potiorum necessaria est, sic enim in motu positæ faciliùs commiscentur, irretiuntur, & in massam fixam coeunt, unde omnis penè generatio ex fluidis procedit, ita ut ne gemmæ quidem, & lapides durissimi excipiantur.

Et à quibus proprietates lapidū dependent.

A sale lapidum durities, gravitas, & quandoque forma dependent, liquor terrestris sulphure fuso imbutus eis colorem, diaphaneitatem, vel opacitatem tribuit, diversa denique partium configuratio, & coaptatio lapidibus aut firmitatem, aut friabilitatem inducit.

CAPUT SECUNDUM.

De Sale Lapidum causà primariâ.

Variæ salis definitiones.

SAlis diversæ adducuntur definitiones secundum diversum modum, quo consideratur, & varias ejus proprietates, quæ in tali concipiendi modo menti obveniunt. Hinc Mathematicus illum definit per certas figuras, quibus semper donari credit, & per quas ab aliis corporibus, quæ sales non sunt, sufficienter distingui putat. Quam ob rem *Clarissimus vir Dominicus Gulielmini in suà accurat: Sal. dissert: epist: ad Illustrissimum, & Excell. D. CHRISTINUM MARTINELLI Patritium Venetum* inter hucusq. excogitatas salis descriptiones, illas potissimum approbat, quæ de hujusmodi salium figuris mentionem quandam faciunt, & inventæ sunt à *Langelloto in Chymiâ Physicâ*, & novissimè *à Lemortio* proximè ad *Langellotum* accedente. Hic salem esse ait: corpus minimum in punctum acutum semper desinens maximè per motum divisibile. *Langellotus* verò dicit: Salem esse corpus obtinens puncta, & acumina, sive illa sint fluida, sive rigida. Attamen nec hæc definitiones adducto Authori omni ex parte placent, quòd Sali tanquam alicui Elemento simplicissimo minus convenire videantur; unde sequentem subjungit. *cit. Tract. pag.* 10. Sales dixerim corpuscula insectilia terminata planis superficiebus, ita ad invicem inclinatis, ut simplicem aliquam includant figuram. Chymici opinantes, omnium rerum naturalium firmitates & pondera potissimum à salibus dependere, judicant, illos esse unum ex principiis corporum activis, sed reliquis magis fixum ac ponderosum. Plures autem Philosophi præcipuè respicientes duas primarias salium proprietates in omnibus eorum speciebus, licet inter se diversis, obvias & sensibiles, nec in ullo alio corpore, quod Sal non est, aut è salibus non constat, observabiles, quæ sunt liquabilitas, & sapiditas, in his duabus

Secundum Mathematicos.

Secundum Chymicos.

bus proprietatibus salium differentias essentiales collocari debere autumant: propterea *Author Burgundicæ* dicit: Salem esse corpus durum, & in aquà dissolubile, quibus *Nobilissimus Boyle* addit: & sapidum, nam posset dari aliquod corpus durum, & in aquà dissolubile, etiamsi nullus esset sal, nec è sale, aut saltem paucissimo constaret, prout est Lac Lunæ minùs defæcatum, & luto pingui imbutum, & plures Bolorum species, quæ corpora omnia, etiamsi minimè salina sint, aut paucissimo sale impræg nata, tamen facile in aquà dissolvuntur. *Secundum Du Hamel & Boyle.*

Cùm igitur non solùm dictæ duæ ultimæ proprietates in omnibus salibus sinceris, & à nullo alio corpore heterogeneo obvelatis deprehendantur, sed insuper quilibet sal suam figuram angularem obtineat, ac consistentiæ sit durioris, quælibet dictarum propositionum quidquam peculiare & sali proprium exprimit, unde optimum erit, ex illis unicam salis descriptionem concinnare, quæ omni & soli conveniat hunc in modum: Sal est corpus durum angulare, in aquà facile liquabile, & sapiditate donatum. *Definitio Salis secũdum Authorem.*

In hàc salis descriptione omnes ejus proprietates Essentiales, quæ illum in statu sincero constitutum concomitari solent, continentur, & licet particulis Elementaribus non conveniat, tamen propter hoc non reiicienda videtur, cùm hæ rarò vel nunquam sub sensum cadant, & adhuc magnum subsit dubium, an hæ quatuor hucusq; observatæ salium differentes species nimirum: Sal marinus seu muriaticus cubicus, Vitriolum parallelepipedum rhomboideum, Alumen rupeum octaedricum, & Nitrum prismaticum hexagonum, quorum figuræ omnes aut ad pyramides, aut ad prismata reducibiles sint, veræ Elementares salium species existant, seu primigeniæ & componentes, vel an etiam compositæ, aut derivatæ (ut cum *Gulielmini* loquar) sint, prout vult *Clariss: Philosophus & Chymicus D. Homberg*, inq; alias differentes ac invisibiles salium species tanquam Elementares abeant, & dividantur.

Ad majorem autem definitionis intelligentiam sciendum est, quid intelligatur per *to* liquabile, ne pro aliquà salis in aquam convertibilitate accipiatur, quod valde erroneum esset, nam per liquabilitatem salium solummodo indicatur facilis eorum ab aquà dissolutio, quæ tam ob constantem suum motum omnibus liquidis communem, quàm ob subtilissimas suas particulas interstitia corpusculorum salinorum cohærentium facile penetrat, & illa plerumq; vinculo tantùm mechanico, seu ope propriæ structuræ unita, nulloq; alio vinculo ramoso, aut firmitatem fixam inducente ligata separat, atq; ad minima soluta poris suis figuris salium proportionatis recipit, & levi negotio ob parvitatem molis intra propriam substantiam sustinet, à quibus corpusculis salinis intra poros aquæ hærentibus sapiditas aquæ conciliatur, manifestum signum, quòd non fuerint in aquam conversa, sed tantùm in eà abscondita, dum præsentià suà aquam salsam reddunt. *Quid sit salium liquatio in aquà.*

Expositâ salium definitione eorum textura consideranda est, quæ constat è pluribus particulis insensibilibus longis, rectis, rigidis, & acutis simul unitis, secundum quam particularum diversitatem variæ quoque salium species exurgunt: unde alii sales sunt acres, alii acetosi, alii neutri, ut Nitrum, Vitriolum, & Sal marinus: alius est volatilis, alius fixus, alius

ſimplex, alius compoſitus, dantur denique inflammabiles, & qui non inflammantur.

Sal Nitroſus. Vitriolum. Sal communis.

Sal Nitroſus cum rebus ſulphureis magnam habet cognationem, & cum acetoſis effervescit, econtra verò Vitriolum nec cum acetoſis tumultuatur, nec id inter & ſulphura aliqua affinitas deprehenditur. Sal communis demum ex æquabili elementorum mixtione componitur, quæ illi ſaporem ex acri & acido temperatum communicat.

Differentes ſalium ſapiditates unde procedant.

Prædictus Author *in cit. diſs. de Sal.* contendit, potiores ſalium differentias præſertim quo ad ſapiditatem diverſis eorum figuris debere, ſic aciditatem adſcribit ſpiculis ſalinis in acutos angulos deſinentibus. Salem verò muriaticum ſeu marinum, cùm acutis angulis careat, & eorum loco omnes rectos habeat, non aciditate, ſed ſalſedine præditum eſſe; Vitriolum econtra omni ſalſedine carere, ſed aciditate aliquali dulcedine mixtà donari ob acutos ſuos angulos, nonnulloſq; obtuſos adjacentes, in quibus dulcedo conſiſtat. Nitrum verò aciditatem & ſalſedinem præſeferre ob angulos rectos & acutos in eodem ſchemate conjunctos. Alumen demum aciditate prævalente, ſimul dulcedine & aliquali ſalſedine imbutum eſſe ſupponit, quia in eo prævalent anguli acuti, nihilominus tamen nec rectis nec obtuſis deſtituto. Stipticum autem ſaporem tam in Alumine quàm in Vitriolo ſenſibilem dependere docet, non minùs ex aſperitate planorum angulos componentium, quàm ex ipſiſmet angulis, è quibus conſtituuntur; aſperitatem verò planorum derivare à præſentiâ corpuſculorum heterogeneorum è terrâ & particulis mineralium cum ſalinâ ſubſtantiâ commixtorum. Verùm quemadmodum ſapor ſtipticus in Vitriolo & Alumine à variâ corporum heterogeneorum miſcelâ dependet, nullus inficias ibit, plures adhuc ſalium diverſas ſapiditates à variis particularum ſalinarum combinationibus, & aliorum corporum admiſcelis produci poſſe. Sed hæc Clariſſimus Author de ſaporibus ſalium tantùm primigeniorum intelligit, & non derivatorum, quorum tot erunt differentiæ, quot differentes ſalium combinationes, & miſcelæ.

A quo ſalium proprietates dependeant. Quomodo ſales figãt. Et diſſolvant.

Salium igitur proprietas ab eorum figurâ, & exiſtendi modo potiſſimum dependet, nec non à corporum poris, quibus applicantur, ita ut idem nunc figat, nunc coagulet, deinde ſeparet, & diſſolvat ſecundum variam partium configurationem, cum quibus commiſcetur: Si enim earum cavitates leniter ſubeant, iis ſenſim irretiti figuntur, & unà cum corpore, quod ſubierunt, in duritiem lapideam coagulantur; Si autem corporis poros vi quàdam penetrent, ut ſeſe inſinuando, & quaſi incuneando ejus partes ſenſibiles à ſe invicem ſeparent, texturam diſſolvent, ejuſque vincula rumpent, prout aqua ſimplex diſſolvit ſales, fortis metalla.

Ad petrificationem omnis generis ſales concurrũt.

Diverſæ lapidum ſpecies manifeſtant ad petrificationem omnis generis ſales concurrere. Siquidem ſal nitroſus deprehenditur in calce, acetoſus in marcaſita, neuter in aliis lapidibus. In ſale volatili tantillo fixi ligato ſpiritum lapidificum conſiſtere valde probabile eſt, qui poros materiæ petrificandæ aperit, & ita diſponit, ut ſales fixi eos facilius pervadere queant, & accedente debito liquore viſcido in lapidem coagulari.

Quo fiat, ut ubiq;

Spiritus iſte lapidificus mediante vehiculo aëris vel aquæ undique diffunditur, & quamlibet materiam aptam, quam ritè penetrat, figit, ſenſimque

ſimque ſine ſenſu in ſubſtantiam lapideam convertit. Quamobrem ubique generantur lapides; apparent altiſſimi montes è meris lapidibus exſtructi, quorum nec ſubjectæ valles, nec prata, nec campi expertes ſunt, ſæpiuſque ipſamet aqua innatà vi lapides depaſcens ob congeſta ſaxa proprios alveos deſerere cogitur, & plura corpora, in quæ impingit, petrificat, imò in aëre ſive calore, ſive frigore perfuſo lapides produci videmus, à quibus neque viventia immunia ſunt, ita ut lapides quovis tempore, in quàlibet regione, & in omni re gignantur, nihilque naturæ naturalius videatur, quàm lapides generate, ſine dubio, ut tanquam ſolicita rerum parens debiliora ſua producta valido hoc fulcro inſtauret. *lapides generentur.*

Aër omnis generis ſalibus præſertim nitro graveſcit, quos ab exhalationibus terræ & maris ſalibus minùs fixis imbutis recipit, vel etiam cavitates ſubterraneas pervadens, in mineram ſalis impingit, ejus particulas liberiores ſolvit, & ſecum rapit, à quibus in nubibus grando, Ceraunias, in pulmonibus hominum præcipuè prope mare degentium ſabulum & lapilli formantur, nec non ſcorbutus inducitur, pleraque montium cacumina Septentrionem reſpicientia in rupes duriſſimas coguntur, imò integræ urbes, equitum turmæ, & pecudum armenta, quorum exemplum habemus in Africà prope Tripolim, in montanis provinciæ Chilenſis in Armeniâ, nec non in Ruſſia, in naturam lapideam mutatæ ſunt. *Vid. Th. Barth. Cent. 2. hiſt. 100. Phil. Camerar. in deſcript. ptolem. cent. 2. cap. 7. & Ortelium in deſcript. Ruſſ.* *Aer omnis generis ſalibus graveſcit, & quomodo iis imbuatur.*

Nec ſolùm à vaporibus terræ & maris aër ſuos recipit ſales, nam quoque eliciuntur è ſaxis ab aëre calido & humido præcipuè ab Auſtro ſummo impetu ad rupes allidente, à quo funduntur, & emulgentur terrà reſiduà hinc inde à ventis projectà, & remanente liquore terreſtri & viſcido, qui ſpeciem putredinis contrahit, ita ut in eo teſte *Nic. Venet. dans la traitté des pierres art. 1.* exigui vermiculi ope microſcopii obſerventur, & meritò dici poſſit. *Lapides quandoq; putreſcũt.* *Vermiculi in lapidibus putreſcentibus obſervantur.*

Mors etiam ſaxis, marmoribuſq; venit.

Hoc ipſum in cauſâ eſt, cur tot foveæ & cavernæ Meridiem ſpectantes in ſummitate montium appareant à ventis humidioribus ſenſim excavatæ, haud diſſimili modo, ac ſaxa in ripis fluviorum ſita, aut ſupra quæ rivulus excurrere ſolet, exeduntur, hoc tantùm diſcrimine, quod flumina rapido ſuo motu lapides proximos erodentia integra ramenta lapidea potius, quàm ipſum ſalem ſecum rapiant, quæ, ſi ſint ſubtilia, poroſque corporum obviorum penetrare apta nata, petrificationem inducent, ſi verò craſſiora exiſtant, & materiæ limoſæ ac glutinoſæ meatus præcludenti aſſociata, ſuperficietenus tantùm corporibus adhæreſcent, eaque incruſtatione obducent, unde aquæ petrificantes, & incruſtantes originem ſuam trahunt. *Petrificatio quomodo fiat. Et incruſtatio.*

Aquam copioſo ſale imbutam eſſe, nõ ſolummodo aquæ minerales, & marinæ, ſed etiam ipſimet vapores aquei hyeme, vel inſtante frigore ſub formâ nivis, aut grandinis decidentes luculenter demonſtrant, quo partim in aëre, partim in locis ſubterraneis impregnatur, etenim cryptas & fodinas ſalinas percurrens non minùs latentes ſales diſſolvit, & ſecum trahit, ac humores aquei ſurſum elati nitrum aërium imbibunt, quo in guttulas coeuntes & ſub formâ pluviæ decidentes terram irrigant, & ei fertilitatem inducunt.

Aptiſ-

Aptissimus petrificationis sal in subterraneis elicitur.

Aptissimum verò petrificationis salem in subterraneis sequenti modo à naturà elici, generatio Lactis Lunæ (de quà infra) persuadere videtur. Aqua nempe mediante calore subterraneo in vapores versa per internas summarum alpium cavernas , quæ pluribus in locis ad altissima montium cacumina penetrant , non secus ac in destillatione aquæ per alembicum, attollitur, ubi in summitate saxosis cavernarum parietibus adhæret, & sensim in guttulas abit, quæ à denuò subsequentibus vaporibus ita augentur, & conglobantur, ut facto aquarum quasi agmine in aliquo clivo devexo in scaturiginem erumpentes, aut limpidum fontem, aut susurrantem rivulum producant. Dicti vapores velut rorulentæ, & subtilissimæ humidi particulæ constanter sursum avolantes meatus rupium pervadunt, contentumque salem alliciunt, & diluunt, quo saxa in superficie suà destituta, proprià naturà duritiei, & gravitatis deperdità , substantiam terrestrem albicantem , fungosam , ac levissimam induunt , quæ Lac Lunæ vulgò: *Moonmilch* audit, quia lactis instar dulcescit, & in aquà dissoluta ei albedinem inducit.

Quomodo fontes aut rivuli in sūmis mōtibus formentur.

Quid sit Lac Lunæ Moonmilch.

In quo cōsistat Spiritus Lapidificus.

Prædictus sal toties rectificatus, & per infinita terræ cribra ad tantam montium altitudinem cohobatus cum sale volatili vel spiritu aliquo lapidifico magnam habeat affinitatem, & in eo primaria petrificationis causa consistat, necesse est, siquidem saxa illo orbata subsistere nequeunt, quin dispositiones lapidi proprias amittant, novasque alterius corporis qualitates assumant, quod manifestè demonstrat generatio Lactis Lunæ in hujusmodi lapidum resolutione supervenientis, cujus præcipuas proprietates hìc breviter perstringam: Ad clariorem salium notitiam adduntur figuræ potiorum salis specierum, prout *à Clariss. Listero in doctiss. suis Exercitationibus de Therm. & Font. Med. Angliæ exhibentur, & à Doctiss. Gulielmino dissert. citat. describuntur. Vid. icon. min.*

CAPUT TERTIUM.

De Lacte Lunæ, ejusque usu Medicinali.

Varia Lactis Lunæ nomina. Moonmilch. Steinmarck.

LAc Lunæ est Terra, quæ à variis Authoribus variè denominatur. Ferrandus Imperat. lib. 5. cap. 14. hanc Terram Agaricum Mineralem appellat ; Gesnerus Agaricum saxatilem seu Fungum petræum, eò quòd Agarici instar saxosis parietibus adhæreat. Agricolæ Steinomarga, Germanis *Moonmilch oder Steinmarck*. ob substantiam albam, fungosam, & porosam, ex quà concreta est.

Locus nativus.

Maximus Lactis Lunæ proventus est in Helvetià, ubi in summis altissimorum montium speluncis colligitur, quarum præcipua est in summitate montis Pileati seu Fracti. [Germanis *Pilatusberg vel Frachmœndt*, quæ nomina ab ipsis latinis à Romanis istis locis primò impositis, & dein corruptis derivant.) ita vocati, quia nubes ipsius cacumen pilei instar continuò cingunt. *V. Cysat. Histor. Lacus quat. Civit. Sylv.* montemq; in medio divisum seu fractum præsefert, & ob adjacentem famosum Pilati lacum valde celebris, ex parte meridionali ditionis subsylvanæ, & ab incolis ob copiam

Mons Pileatus seu fractus. Pilatusberg. Frachmœndt



1. *Vitriolum* maturum 2. *Alumen* 3. *Sal vulgaris* sive coctilis è fontibus Angliæ mediterraneis 4. *Salpetra* quibusdam Halonitrum 555. etc. unius & eiusdem *Nitri Calcarij* variæ Figuræ. 6. *Vitriolum immaturum* Rhomboides. 7. *Sal vulgaris immaturus*. 8. *Sal* vere *marinus* sc: ex aquà marinà concretus.

J. Melchior Füessli Tigurinus ad vivum Delineauit.

copiam Lactis Lunæ ibi delitescentis Moonloch. (id est Caverna Lunaris) nuncupata. *Vid. tab.* 1. *lit. A*. Hæc caverna sita est in prærupto angulo, quem duæ excelsæ rupes non multùm infra summum montis cacumen efformant. Ingressus altus est pedum circiter sexdecim, latus verò novem, è quo indesinenter, nitidissimus, & à decidentibus è fornice guttulis conflatus rivulus gratissimo murmure decurrit. Crypta post decem passus in amplissimum antrum excavatur (ut *in ejusd. tab. icon. min. B.* videre est) cujus diameter se ad viginti passus extendit, altitudine 14. pedes superante. Quod iterum Septentrionem versus angustius factum ultra trecentum passus montem penetrat, ubi tandem in immanem, & stupendam cavitatem dilatatur, quam pastoribus ob præruptas vias hucusque experiri non licuit. Per hanc montis cavitatem usque ad radicem ejus porrectam vapores aquei à calore interno ex latente aquâ, quam proculdubio Pileatum cingens Lacus Lucernensis per subterraneos hiatus suppeditat, excitati ascendunt, & undique fornici (qui per totum sui tractum, excepto antro commemorato pendente, quasi arcu velato, in hiantem, sensimque magis angustatam fissuram C ad summum montis culmen usque abeuntem desinit) applicantur, qui nunc poros saxi subeundo, salemque in iis contentum solvendo, & imbibendo materiam terrestrem, viscidiusculam & albicantem post se relinquunt, nunc rimas rupium altius penetrando integra fragmenta lapidea separant, B sibique tam ingentes cavernas efformant.

Moonloch. *Caverna Lunaris.*

Quomodo Cavernæ tam ingentes intra mõtes producantur.

Interna cavernæ superficies ex omni parte, & quidem pluribus in locis ad pedis unius crassiem Lacte Lunæ obducta est, & sicuti à constanti aquarum lapsu indesinenter absumitur, ita à perpetuâ vaporum, qui intra cavitatem à casu ipsius aquæ non parum augentur, destillatione continuò reparatur.

Decimo nono Augusti 1703. ingressus sum aliam Cavernam Lunarem excavatam in monte præalto *VVallenstock* appellato ejusdem ditionis ex meris rupibus congesto; cujus ostium minore, quàm prioris Cavernæ aditu patet, sensimque angustatum post triginta passus deducit in cryptam satis amplam fornice acuminato obvelatam, è quâ alia via primâ longè demissior recluditur, & tractu viginti passuum expanditur in vastam Cavernam antro Cavernæ Lunaris montis Pileati nec spatio, nec quantitate Lactis Lunæ hinc inde adhærentis minimè cedentem, ubi tres novæ viæ apparent, quarum duæ declives sunt, & tertia sursum tendit, ob frequentes autem & profundas rupium fissuras ulterius progredi non placuit, ne delapsum fortè saxorum fragmẽtum viam nobis occluderet, & sic recessum impediret.

Caverna Lunaris montis VVallenstock. *descriptio.*

Per dictas rimas constanter aqua limpidissima guttatim destillat, nec non per alia foramina subrotunda, diametro suo spithamam colligentia in istis cryptis passim obvia, quæ intus à decidente aquâ valdè lævigata tortuoso, multisque flexibus sinuoso ductu versus apicem montis porrecto altissimè montem pervadunt, donec sensim contracta prorsus obliterentur; aqua per has fissuras & foramina defluens ab annosâ nive summitates montium occupante, & à calore æstivo soluta suggeritur, quæ poros saxorum penetrando paulatim eos exedit, sibique tales vias ad internas cavitates parat, ubi continuo suo halitu & vapore superficiem saxorum extimam solvit, & in substantiam Lactis Lunæ convertit.

Cuius aqua ab annosâ Nive summitates montiũ occupante derivat.

Præter

Lac Lunæ aeri alpino expositum faciliter iterum naturam lapidis induit.

Præter commemorata in præscriptà Cavernà observare licuit Lac Lunæ ingressui Cavernæ proximum, aërique magis expositum facillimè iterum induere naturam lapidis, sine dubio ob nitrum aëreum illi de novo commixtum, à quo elegantes figuras acquirit; nam si ab intenso frigore per modum crystallisationis subitò induretur, in pulcherrimas stiriolas musci foliolis haud dissimiles excrescit; si verò paulatim condensetur, in superficie lapidum elegantissimum opus reticulare efformat, eodem fermè modo, quo hædera suis ramusculis hinc inde dispersis, sibique incumbentibus muris adhærere solet. Utrum hujusmodi lapides è substantià Lactis Lunæ producti Galactitæ nomen mereantur, versatioribus in hàc materià decidendum relinquo.

Galactites lapis.

Descriptio Lactis Lunæ.

E quibus patet, Lac Lunæ esse: Terram post lapidum per aqueos vapores sale exhausto resolutionem residuam, albam, levem, friabilem, parùm viscosam, saporis subdulcis, sine odore internis lapideis parietibus, & fornici cavernarum subterranearum summis in montibus sitarum adhærentem.

Eiusque Differentiæ.

Differentiæ Lactis Lunæ sunt, quod unum sit defæcatius altero, magis leve, & candidius; minùs defæcatum cognoscitur è striis & maculis subluteis hinc inde per substantiam dispersis, nec non, quòd sit longè gravius durius, & tenacius, & propterea nec in medicinà tantis viribus pollet.

Et proprietates.

Lac Lunæ ab aquà dissolvitur, eamque colore lacteo tingit, dein cum aceto mixtum effervescit, & à spiritibus acidis majori adhuc effervescentià exeditur, sed cum spiritu vini nec tumultuatur, nec dissolvitur, quæ denotant, substantiam Lactis Lunæ partium esse tenuium, siccare sine morsu, abstergere, acida imbibere, acria edulcorare, plerisque morbis ab iis provenientibus mederi; & non parvam Lac Lunæ inter, & Bolum Armenam deprehendi affinitatem, cujus potiores vires possidet.

Lactis Lunæ usus internus.

Usus Lactis Lunæ vel est internus, vel externus. Internè prodest in sodà & ructu nidoroso, grumis sanguinis dissolvendis, nec non in hæmorrhagiis, aliisque sanguinis profluviis sistendis. In ardore urinæ, & reliquis ejus affectibus ab acrimonià & aciditate ortis, speciatim in strangurià juvat, dolorem nephriticum sedat, & arenulas è renibus pellit, earumque generationem impedit. In colicà, diarrhæà et dyssenterià præsentaneum est remedium, quod nonnulli etiam in febribus malignis & pestilentialibus cum fructu exhibent. Demum lac mulierum lactantium copiosè auget propinatum cum crystallo præparatà, semine fæniculi, aliisque specificis.

Usus externus.

Externè Lac Lunæ confert ad acidum occultum ulcerum absumendum imprimis tibialium, quæ mirè purificat, conglutinat, & ad cicatricem perducit. Multi illud loco nihili albi colliriis addunt ad exsiccanda oculorum ulcera, eorumque defluxiones acres inhibendas. Veterinarios quoque nostros in variis tumoribus id applicare asserit *Celebr. VVagn. in suà hist. Natur. Helvet.*

Lac Lunæ non generatur ab exhalationibus metallicis.

Ex dictis facilè colligitur, substantiam Lactis Lunæ non conflari ab exhalationibus metallicis ad superficiem lapidum concretis, quod hucusque plures insignes viri credidère, nam potius aliquod recrementum metallicum grave Arsenico, Sale, aut Sulphure heterogeneo onustum constitueret, quàm Terram albam, levem, ab omni acredine defæcatam, & summè edulcorantem, de quà hæc pauca sufficiant.

CA-

CAPUT QUARTUM.

De Liquore Terrestri, viscido, & ramoso Lapidum causâ secundariâ.

LIquor terrestris viscidus & ramosus ad generationem lapidum requisitus est substantia pinquior terræ, seu sulphurea fusa, quæ in visceribus terræ vi caloris subterranei, succorumque fermentatione elaborata per ejus internas cavernas & meatus distribuitur, partimq; aëri, partim etiam aquæ commiscetur, crudiore ejus portione luto terrestri inhærente, quæ deinceps faciliter salem subeuntem cum spiritu lapidifico suis ramusculis involvit, & ad firmitatem, duritiemq; induendam disponit. *Quid sit Liquor terrestris viscidus.*

Quòd autem hujusmodi Liquor terrestris & viscidus revera detur, ultra experimenta inferiùs in descriptione Lapidum Figuratorum adducenda evincunt manifestè silices Augustani cujuslibet figuræ & magnitudinis inter se conglomerati & agglutinati, sibiq; (licet sæpius sese in minimo puncto tantùm tangant) tam firmiter cohærentes, ut nullâ vi separari queant, & ipsi silices, etiamsi durissimi sint, potius rumperentur, quàm unus ab altero divellatur. Occurrunt ante Portam Geggingianam in loco declivi ab urbe mediâ leucâ distante prope viam, quæ ducit Mindelhemium. *Silices Augustani cõglomerati liquorem terrestrem viscidum produnt.*

Præterea tam in aëre, quàm in aquâ & terrâ habentur luculenta hujus Liquoris terrestris viscidi indicia: in aëre enim illum manifestant faciles filamentorum concretiones, quæ potissimum in Autumno per aërem volitantia observantur, dein ipsæ concretiones nivis ac grandinis, nec non fulgura tempore æstivo quàlibet nocte aërem illuminantia, ac pluviæ tenaciusculæ & pingues tempore vernali ex Athmosphærâ decidentes latens in aëre sulphur seu succum terrestrem viscidum ac ramosum luculenter produnt. In aquâ verò manifestatur à bullis & spumâ in omni aquâ obviis, quæ sine concursu hujus succi produci non possent, non secus ac ipsa glacies ab intenso frigore inducta. Pinguedo demum terræ in quolibet campo, ac prato apparens succum hunc in eâ delitescere abundè persuadet. *Et alia quamplurima phænomena tã in aere quàm in aquâ obvia.*

A tenuitate & depuratione hujus liquoris lapidum perfectio dependet, nam ad constituendum Adamantem, & Crystallum, aliasque gemmas pellucidas, & pretiosiores requiritur liquor depuratissimus, quem reliqui lapides opaci, & communiores non exigunt; quo colore, quem plerique à subtilissimarum particularum metallicarum admiscelâ derivare volunt, quamvis potius à diversâ particularum Liquorem terrestrem constituentium miscelâ & dispositione dependeat, hic liquor erit tinctus, tali omnes lapides, qui ex eo conflantur, tinget, nisi nova salium, spiritusq; lapidifici admistio ejus tincturam aut immutet, aut omnino invertat. *Potior lapidum perfectio ab eo dependet.* *Sicuti & color.*

CAPUT QUINTUM.

De Partium Configuratione, & coaptatione Lapidum causà occasionali.

Quid sit partium configuratio.

DEbita partium configuratio & coaptatio est earum versus se invicem talis proportio, quà mediante sibi faciliter applicantur, & ita conjunguntur, ut inde firmitas & durities duæ inseparabiles lapidum proprietates oriantur. Sic quadratum quadrato faciliter applicatur, convexum cavo inseritur &c. cui si accedunt particulæ ramosæ & viscidæ conjuncta corpora irretientes, nexus firmior erit.

Ad partiũ configuratarum mutuum contactum tria requiruntur.

Ad mutuum istum & immediatum partium contactum, ac nexum tria prærequiruntur, sine quibus difficulter debita mixtio comparabitur. Primò fluiditas omnium, ut levis aliqua agitatio, & digestio præcedat. Secundò fluidorum pondus, quod partium, quæ satis inter se conveniunt, applicationem non parum juvat. Tertiò compressio circumfusi aëris, quæ sola duo marmora optimè lævigata per simplicem contiguitatem planarum superficierum ita connectit, ut non nisi magnà vi divelli queant.

Conditiones ad formationem lapidis requisita.

Ex hucusq; dictis de lapidum generatione, eorumq; principiis in genere patet, ad coagulationes lapideas requiri: Primò spiritum lapidificum. Secundò debitam salium quantitatem per materiam diffusam. Tertiò liquorem terrestrem viscidum totam massam irrigantem, salesq; irretientem. Quartò denique materiam debitè proportionatam, nimirum, cujus partes sint fluidæ, configuratæ, & justo pondere donatæ, quibus si accedat compressio circumfusi, æquoq; calore, aut frigore imbuti aëris necessariò talis materia in substantiam lapideam converti debet.

Consectaria.

Lapis fit cõdensatione

HInc colligitur. Primò. Omnem lapidum generationem per aliquam condensationem fieri, inductam ab aëre ambiente materiam in lapidem convertendam comprimente.

Et constrictione.

Secundò. Hanc condensationem sine aliquali partium materiæ constrictione, humiditatisq; superfluæ expressione, aut evaporatione non posse fieri.

Quà superflua humiditas hinc inde urgetur.

Tertiò. Humiditatem superfluam sæpius versus centrum materiæ petrificandæ pelli, nonnunquam etiam versus peripheriam, prout nimirum petrificatio à centro, vel peripheriâ incipit.

Donec aut in lapidem convertatur.

Quartò. Hanc humiditatem postremò quoq; in substantiam lapidis transmutari, si sit ritè disposita, & sufficienti spiritu lapidifico impregnata, atq; ex eà plerumq; nasci lapides pretiosos, aut crystallinos intra lapides inclusos, vel eorum superficiei extimæ inhærentes, nonnunquam tamen etiam ex eà lapides figurati alterius speciei generantur, prout nimirum magis vel minus fuerit defæcata.

Aut in Armaturam.

Quintò. Si autem hæc humiditas majori quantitate sulphuris, quàm salis imbuta sit, tunc aliquali visciditate donatur, quæ ad extremitatem lapidum

pidum propulsa, ei sub formà tunicæ splendentis inhærebit, armaturasq; nitentes in eorum superficie producet, aut si intra ipsam lapidis substantiam hinc inde dispergatur, vel confluat, varias figuras pictas in eà efformabit. *Aut in picturas.*

Sextò. Si denique dicta humiditas præter magnam sulphuris quantitatem copiosà parte terrestri imbuta sit, & hinc inde per substantiam lapidis distribuatur, ac confluat, venas hinc inde per lapidem sine ordine excurrentes constituet. Hæc conjectura ex eo potissimum confirmatur, quòd materia in lapidibus venas constituens nunquam sit tantæ duritiei, sicuti est reliqua lapidis substantia, & consequenter semper magis friabilis; cujus unica causa esse videtur major partis terrestris in materiâ petrificandâ latentis copia, quàm à sale, & liquore terrestri viscido debitè irretiri, & ad modum reliquæ substantiæ lapideæ durioris figi potuit. *Aut in venas lapidum.*

Septimò. Si verò hujusmodi humiditas nullam prorsus dispositionem ad petrificationem habeat, spirituq; lapidifico omnino destituta sit, illa vel sensim exsiccabitur, vel (sed raris vicibus) intra substantiam lapidum aut sub formà aquæ limpidæ, aut pulveris terrestris (prout nimirum aqua, vel terra prædominabatur) inclusa observabitur, cujus rei veritatem plures Crystallorum species corroborant, ut ex earum enumeratione patebit. *Aut evaporet. Aut corpus suæ speciei constituat.*

Octavò. In productione lapidum non omnem materiam simul & semel in substantiam lapideam converti, sed primò magis dispositam, deinde minus aptam, primamq;, dum lapidescit, constrictione suâ secundam liquidiorem, & ad indurationem minus dispositam quaquaversum per apertos poros pellere, donec aut prorsus eliminetur, aut sensim simul induretur, aut corpus suæ speciei constituat. *Materia lapidis non simul induratur.*

Nonò. Valdè dubiam esse hypothesin *Georgii Baglivi*, qui *Tract. de Vegetatione lapidum* vult, lapides herbarum more crescere, & nutriri: etenim hæ non solùm suas habent radices, in quibus succus nutritius elaboratur, sed insuper obtinent vasa, per quæ in omnes plantarum partes distribuitur, ut taceam, substantiam plantarum in omnem dimensionem ab irruente succo nutritio expandi posse, quod substantia lapidum concreta & indurata omnino respuit, & præterea nec radicibus, nec vasculis ad succi nutritii distributionem instructi sunt. *Lapides nõ plantarum more crescunt, nec nutriuntur.*

Decimò. Nec majus veritatis specimen præseferre illorum opinionem, qui contendunt, omnes lapidum species è minimis arenularum particulis tanquam principiis lapidum simplicissimis produci, cùm ipsæ arenulæ minimi lapilli sint ex iisdem principiis, & eàdem materiâ conflati. Hoc tamen minimè negandum est, sæpius à conglomeratione, & mediante succo terrestri viscido ac lapidescente plurimarum arenularum seu minimorum lapillorum conglutinatione lapides generari; etenim in plurimis silicis speciebus arenulæ conglomeratæ adhuc observantur, & faciliter distinguuntur, è quibus integra eorum substantia conflata est. Sic in Hammite seu Ammonite arenulæ & minimi lapilli ova piscium præseferentes clarè conspiciuntur, non secus ac in aliquibus rupibus vulgò: *Nagelfluohen oder Nagelfelsen* lapilli seu silices minores mediante succo lapidescente inter se uniti, & hujusmodi rupes constituentes distinctè discernuntur. *Nec eorum principia sunt arenæ.* Nagelfluohen oder Nagelfelsen.

Undecimò. Omnes lapidum tam pretiosorum quàm reliquorum colores *Colores la-*

pidum à dispositione Sulphuris dependent.

lores à peculiari sulphuris in succo terrestri viscido contenti dispositione dependere, & non ab exhalationibus metallicis, prout potior Philosophorum pars contendit; nam plerumq; lapides pulcherrimè colorati in locis à mineris quàm longissimè dissitis, & ad quæ exhalationes metallorum pertingere nequeunt, generantur, & inveniuntur. Si verò lapidibus præter colorem nitor quidam accedat, probabile esse, hunc à sulphure liquoris terrestris viscidi cum aliquo sale in fluorem verso, qui sulphuri illum splendorem communicat, intimè unito, ac saturato derivare.

Et nitor à commixto sale.

Hæc sunt principia seu primaria Historiæ meæ Lapidum Figuratorum fundamenta, ratione, & longà experientià comprobata, supra quæ universa subsequens de lapidibus doctrina fundabitur, & per quæ omnia phænomena in lapidibus obvia, & hucusq; observata faciliter & clarè explicari poterunt.

CAPUT SEXTUM.

De Differentiis Genericis Lapidum, quorum nonnullæ species alicujus peculiaris & admirandæ qualitatis breviter describuntur.

Quid sit saxum.

EXpositâ lapidum productione ad eorum differentias descendimus; quas omnes huc adducere nimis amplum foret, cùm lapidum differentium in Helvetiâ infinitus detur numerus, brevitati itaque studens, tantùm eas describere conabor, sub quibus nonnullæ lapidum species observantur, quæ ob peculiarem aliquam adjunctam qualitatem solicitiPhilosophi attentionem merentur. Inter quas primò occurrit saxum lapidis ignobilioris maximum, & frequentissimum genus, ortum ex impuriore materiâ lapidescente, colore vario, obscuro tamen, & ingrato, integros montes & rupes constituens. Cujus notanda species est Lapis odore violas referens vulgò: *Ein Veielistein*. Magnitudine, & figurâ varia, coloris potissimum est cinerei, maculisq; quibusdam nigris & puniceis cum micis aureis interspersi, rudis alioquin, impolitus, & æqualis. Naribus admotus suavem spirat violæ odorem, qui calore acuitur.

Lapis odore violas referens. Veielistein.

Causa odoris huius lapidis.

Non ipsius lapidis hunc odorem esse, sed musci cujusdam rufi ei adhærentis jam pridem notavit *Agricola lib. 1. Fossilium c. 5.* qui defectu nutrimenti, & accedente tam aëris, quàm pluviarum humiditate putrescit, coloremque suum album naturalem in croceum commutat, vulgaria exaltati sulphuris indicia, à quo suavissimus hic odor præcipuè dependet, propterea reliqui lapides ejusdem speciei tali musco destituti nullum omnino fundunt odorem, & tantùm ex eâ parte redolent, cui prædictus muscus inhæret, unde *VVormii* Lapidem odore violas referentem sine musco; sicut & saxum *Sutherlandii Celeb. apud Edinburgenses Botanici*, de quo mihi scripsit Amicissimus *Luidius*, quòd muscus saxo odorem debeat, & non saxum musco, alterius speciei esse oportet, è quibus utiq; fornaces in hypocaustis exstrui possent, quæ hyeme totam domum grato odore replerent, attritu cro-

Lapis odore violas referens, è quo fornaces in hypocaustis

croceus iste color in flavum convertitur, & materiæ, quà fricabatur, ultra quatuor dies unà cum fragrantià infixus manet. Muscum hunc naturæ demulcentis & valde balsamicæ esse judico, cujus tinctura convenienti menstruo extracta fortè in phtisi, aliisque internis exulcerationibus non sine fructu adhiberetur. *exstrui possunt, à nostro differt.*

Occurrit pluribus in locis Helvetiæ, præsertim in valle, quæ ducit Altorffio ad pagum *Steeg*, in sylvà Hercinià quoque colligitur ad ripam rivuli Alt prope S. Blasium, & in valle mortuà Beatissimæ Virginis vulgò. *Todtmos* dictà, aliisque adjacentibus clivis. *Locus.*

Post saxum frequentius lapidis genus est Silex durissimus lapis, extrinsecus lævis, sine poris & angulis, ad muros & ædificia construenda ineptus, cùm calcem non bibat, varii coloris, sed obscuri & obsoleti semper. Nonnulli ab igne in calcem, nullius tamen usus, rediguntur, aliqui liquantur, & plerumque foris albi sunt, & translucidi, quos *Aristoteles Pyrimachos* vocat, Germani *Flussstein, oder VVisser Kislinstein;* hos suppeditat torrens noster Emma dictus, leucam ab urbe Lucernà distans, affluensque auro, quo ipsum Rhenum ditat. In Bohemià prorsus diaphanos reperiri scribit *Boet.* qui in gemmarum formam à gemmariis sculpuntur, ac pro Adamantibus Bohemicis divenduntur. Plures autem nec ab igne, nec à vetustate consumuntur, è quibus formæ, in quas æs funditur, smiride confici solent. Aliqui aquam, in quà Pyrimachi candentes ter extincti sunt, contra nephritidem non sine fructu bibunt, imo nosco nob. matronam Lucernæ, quæ usu hujus aquæ ab eà totaliter liberata fuit. *Silex. Pyrimachus Aristotelis* Flussstein, oder VVeisser Kislinstein. *Locus. Ex eo Adamantes Bohemici fiunt.*

Silicis peculiarem habemus speciem, quæ perforata est, alioquin vulgaris, & calcaria. *Vid. Tab. 2. fig. 1.* *Silex Perforatus.* Tab. 2. fig. 1.

Silex Perforatus magnitudine variat, coloris est subcinerei valde obscuri, foramen, quod obliquè eum pervadit, minimumque digitum admittit, nullum proprium observat situm, & à latiore principio versus finem semper magis contrahitur. *Eius descriptio.*

Bubulci superstitione ducti vaccarum papillas lactis loco sanguinem fundentes huic foramini immittunt, & emulgent, ut lac corrigatur, unde Silicem Perforatum Lapidem Vaccinum vocant, vulgò *Kuehstein.* *Vires. Lapis Vaccinus.* Kuehstein.

An foramen huic lapidi connaturale sit, dubitare licet; Sic enim omnes hujusmodi lapides ex eàdem terrà, & eodem in loco concreti perforati esse deberent, quod tamen non observatur, quamobrem causa hujus foraminis adscribenda erit alicui materiæ externæ acri, rodenti, & tanquam menstruum lapidem sensim sine sensu exedenti, quam aviculæ, vel alia insecta mediantibus suis excrementis suppeditant: *Vid. Tab. 2. n. 2. litt. A.* quæ supra substantiam lapidis deposita, & à pluviâ liquefacta suo sale volatili, & corrosivo poros silicis facillimè penetrant, eumque solvunt, & sibi tale foramen excavant: prout mihi causam hujus phænominis majori diligentiâ indaganti sæpius fæces nigricantes & cylindriacæ avium excrementis haud absimiles lapidi huic inhærentes apparuère, quæ cavitati jam formatæ, & coloris lutei, quo pleraque foramina obducta sunt, firmiter agglutinatæ erant. Utinam prædictæ fæces eundem effectum in corporibus nostris calculo vexatis præstarent! *Causa foraminis* Tab. 2. fig. 2. lit. A *Calculus ut solvatur.*

De hàc silicis specie mentionem quoq; facit *solertissimus rerum Helveti-* *Locus.*

carum Indagator D. VVagn. in lib. suprà cit., quam inveniri ait in Silà, aliisque fluminibus & torrentibus, præter quæ loca integri quoque montes prope Urbes Rheinfelden, & Schopfen in Comitatu Rœtelen & Dominio Rheinfeldensi eà abundant, in quorum summitate magnà copià colligitur.

Pyrites Feurstein. *duplex est.*

Ad Silicem proximè accedit Pyrites, vulgò: *Feurstein* ideò sic dictus, quia ex eo ignis copiosè excutitur; duplicis generis est, unus, qui substantiam & formam silicis, quem tamen vivido colore, duritie, & interno lævore multùm superat, retinet, & Pyrites Siliceus vocatur, germanicè *Ein Kisselfeurstein*, ad differentiam Metallaris, qui metallum crudum & imperfectum præsefert, vulgò: *Ein Kupferstein oder besser Ertzfeurstein*.

Siliceus Ein kisselfeurstein. *Et Metallaris* Ein Kupfferstein, oder besser ErtzFeurstein.

Pyrites Siliceus noster crustam habet subluteam medià substantià incarnatà, vel subflavà nigro aut flavo colore commixtà. Pyrites Metallaris verò superficiei est inæqualis, multis tuberculis, & angulis asperæ, nunc aurei, nunc argentei coloris, quandoq; etiam cinerei vel fusci, quam colorum varietatem diversa metalla in hoc lapide contenta inducere volunt, sed potius ac probabilius diversæ sulphuris in liquore terrestri viscido contenti dispositiones producunt. Nec minùs figurà differt, quæ aliquando globosa, aliquando quadrata, seu cubica, vel etiam hexagona observatur; hæ figuræ delitescentibus salibus variè crystallisatis, sibique coaptatis originem suam debent, geometricà ut salium, ita gemmarum figurà id persuadente. Salem acetosum in Pyrite contentum Vitriolum ex hoc lapide confectum luculenter manifestat, sicut sulphur abundans ex eo deprehenditur, quod mutuo affrictu sulphureum odorem spirent, & alterius corporis duri allisione magna scintillarum copia excitetur.

Pyritarum Vires.

Pyrites calefacit, siccat, discutit, humores attenuat, mundificat, oculorum obfuscationibus auxiliatur, & carnis excrescentiam prohibet; in catapultis rotatis, & in sclopetis ex iis ignis elicitur.

Et species.

Species in Helvetià collectæ sunt sequentes.

Pyrites Siliceus crustà subflavà, medià substantià incarnatà, & flavo colore interspersà. Præter hanc speciem plures adhuc dantur colorum varietate differentes, quas brevitatis gratià hìc omitto.

Tab. 2.

Pyrites Metallaris ærosus globosus niger. *Tab. 2. n. 1.*

Pyrites Metallaris aureus micans cubicus conglobatus, & verticilli modo rotundus. *Tab. 2 n. 2.*

Pyrites Metallaris aureus micans cubicus conglobatus, & subrotundus. *Tab. 2. n. 3.*

Pyrites Metallaris aureus micans rhomboidalis. *Tab. 2. n. 4.*

Pyrites Metallaris aureus micans inæqualis, & asper.

Pyrites Metallaris aureus, micans rufo & cæruleo colore feleniti inhærens.

Locus.

Uterque è mineris ferri effoditur, præsertim circa pagum Lüehl in Comitatu Rœthelen, & in quamplurimis montibus Rhœticis colligitur, nec non in Baronatu Saxensi ditionis Tigurinæ, ubi magnæ rupes exstant.

Gypsum

Post lapides frequentiores, ingratique coloris aliqua mentio facienda est de Gypso, quod pluribus in locis Helvetiæ effoditur, ita ut eo quasi nullus pagus careat. Coloris est plumbei, vel albicantis, & minùs durum, leviter

ustum

1 Silex Perforatus. 2 Tab: 2.





Pyritæ.



Lapis Bononiensis.



ustum in calcem, quæ Gypsum vocatur, redigitur. In arte medicà solùm externè adhibetur, cùm internè assumptum tanquam venenum ad strangulationem, aut suffocationem inducendam aptum natum sit, in stomacho enim madefactum lapidescit, astringit, obstruit, & emplasticum est, sanguinisque eruptiones sistit. Bononiæ si quis scabie laborans in fodinis Gypsi aliquot dies commoretur, statim inde liberatur, quod vel virtuti adstringenti, & exsiccanti Gypsi, vel activitati contenti sui sulphuris adscribunt. Inservit quoque ad ædificia magnatum & templa statuis, aut crustà sculpturis speciosà exornanda & obducenda. *Vires medicæ.* *Et usus mechanicus.*

Occasione Gypsi pauca addenda sunt de Lapide Bononiensi, qui non solùm ejus naturam aliquo modo redolet, sed etiam in gypseo monte Paderno decem milliaria Italica à Bononià distante post imbres potissimum ab adjacentibus rusticis magnà curà colligitur, licet à magno hujus ævi Philosopho ad speciem subalternam Talci reducatur, neque in Helvetià, aut ejus Vicinià inveniatur, cùm tamen peculiari qualitate & admirandà vi attrahendi quasi, & imbibendi ambientem lucem donatus sit, non abs re erit, aliquid de peregrino hoc lapide disserere. *Lapis Bononiensis.* *Eius locus nativus.*

Lapis Bononiensis aliis Spongia lucis, Lapis Lucifer, Casciarolanus ob nomen inventoris, *Kirchero* Phosphorus dictus, magnitudine, & figurà inæqualis, rarò tamen pugno major invenitur. Maximus à me visus, quem adhuc possideo, & mihi Illustrissimus Dominus de Nobilibus S. Nunciaturæ Lucernensis Auditor cum aliis minoribus dono dedit, est figuræ ovalis & compressæ, coloris cinerei fusco interspersi, odoris verò sulphurei, longitudine tres uncias superat, latitudine duas, & crassitie unam adæquat, pondere libram unam cum uncià unà & semis librat. *Vid. Tab.* 2. Substantia ejus interna conflatur ex latiusculis lamellis, vel etiam fibris à superficie externà ad unum punctum medium tanquam suum centrum coeuntibus, ut patet ex *figurà A*, quæ in externà superficie crustà non adeò densà integrumque lapidem membranæ in modum involvente colliguntur, & firmantur: hæc crusta prævià calcinatione præcipuum lucis receptaculum existit, ut pote quæ sola, & à reliquà lapidis substantià separata lucem imbibit, ac reddit, & sine quà in lapide ipso nullus hujusmodi effectus producitur. *Et de scriptio.* Tab. 2. *Crusta præcipuum lucis attrahendæ instrumẽtum.*

Mirà qualitate & vi imbutus est hic lapis, debito enim modo calcinatus soli, aut aëri illuminato expositus lucem imbibit, conceptamque retinet, ut translatus ad locum tenebricosum illam carbonis ardentis instar per notabile tempus diffundat, quam rursus aëri illuminato expositus iterum attrahit. Verùm post aliquot annos hanc virtutem perdit, & effœtus remanet, nisi novà præparatione excitetur. Præter hanc mirabilem vim naribus admotus odore suo suffocationes hystericas supprimit, ejus pulvis, atque infusum vomitum movent, & lixivium ex eo præparatum psilotri vicem subit, nec non propter adjunctam salsedinem podagricas defluxiones imminuit: Quæ indicant, substantiam Lapidis Bononiensis, præterquam quòd ad gypseam proximè accedat, & non nihil ad naturam Talci, copiosà materià sulphureà, salino-acri, & quasi arsenicali constare. *Vires.*

Præparatio lapidis sic perficitur: Lapides mediocris magnitudinis, coloris argentei vel pellucidi abluantur primò aquà purà, & penicillo setaceo dili- *Præparatio Lapidis*

Bononiensis.

diligenter abstergantur, imò & limà insuper radantur, ut inde omnes inæqualitates tollantur, deinde in spiritum vini probè rectificatum immergantur, & in polline Lapidis Bononiensis tamdiu pervolutentur, ut eo omnino incrustentur, & ita incrustati furno committuntur ad perfectionem ultimam temperato ignis reverberio acquirendam. Supra craticulam injicitur stratum carbonum dulcium ad altitudinem quatuor digitorum, huic strato imponuntur tot lapides, quot furnus capere potest, hàc tamen conditione, ut distantiam digiti inter se servent; lapides novo carbonum strato ejusdem formæ & qualitatis obteguntur, tandem furno operculum suum imponitur, igne tamen priùs supposito.

Carbonibus consumptis lapides refrigerati eximuntur, & ope cultelli à crustà illà à polline lapidis spiritu vini madefacto inductà liberantur, qui luci expositi optatum præstabunt effectum: è prædictà crustà priùs in pollinem redactà ope albuminis ovi formantur plancentulæ, vel imagines, quæ eodem modo lucem attrahent, & iterum diffundent.

Descriptio lapidis ritè calcinati.

Post calcinationem Lapis Bononiensis flavescentem acquirit colorem, & odorem sulphureum intensissimè spirat, quæ duo signa sunt perfectæ præparationis, & sulphuris valde exaltati, quod, dum aëri illuminato exponitur, à radiis solaribus in motum concitatur, & citatissimo ac vehementissimo impulsu emanat, à quo in æthere determinatæ ad motum luciferum particulæ commoventur, & in tenebris lucem producunt, quæ cessante motu miasmatum subtiliorum à radiis solaribus producto quoque evanescit, & commotis aliis effluviis, postquam lapis rursus lumini commissus fuerit, iterum resuscitatur, non secus ac in corporibus fragrantibus vapores odoriferi accedente caloris motu notabiliter acuuntur, licet instante frigore vix percipiebantur, & quemadmodum hujusmodi effluvia odorifera per plures annos sese diffundere possunt sine notabili imminutione suæ molis, ita Lapis Bononiensis sine magnà sui consumptione diu vim suam exserit, ut per aliquot annos virtutem suam retineat, modò in pyxide undique bene clausà semper diligenter conservetur, & nunquam aëri exponatur, nisi id virtutis suæ exhibitio requirat, qui plura de hoc lapide desiderat consulat *accurat. Dissert. Epist. Comit. Marsilii de Phosphoro Minerali.*

Cur aeri illuminato expositus lucem attrahat, & illam iterũ diffundat.

Ebur fossile Gegrabenes breites Helffenbein.

Locus.

Lapidem Bononiensem subsequitur describendum Ebur Fossile montis Legerii, Spatum ebori simile aliis; vulgò: *Gegrabenes breites Helffenbein*, quod est lapis durissimus, et adinstar saxi fissilis crustosus, superficiei inæqualis, & scabræ, nullius certæ figuræ, nec magnitudinis, coloris albicantis vel etiam sublutei. Occurrit in monte Legerio inter alias lapidum figuratorum species.

Ollaris Lapis seu Lapis lebetũ.

Finem huic capiti imponet Ollaris Lapis, seu Lapis Lebetum, è quo varia vasa excavari possunt, quæ igni resistunt, & ad coquendos cibos utilia sunt. Hunc lapidem describit *sæpius jam laudatus VVagnerus in suà Historiâ Helv. Nat. pag.* 316. sequentibus verbis. Lapis Comensis *Plinio H. N. libr. 36. cap.* 21. *& Scaligero Exerc.* 128. §. 2. à Como ad Lacum Comensem sito. Lapis est subviridis seu pulli coloris, substantiæ molliusculæ, ex quo lebetes (qui Rhætis *Laveggi*, Germ. *Lavezen*) coquendis cibis utiles, pyroboli, aliaq; vasa ad esculentorum usus tornantur. *Franciscus Niger in descript. Rhætiæ* de eo hunc in modum.

Laveggi. Lavezen.

Con-

——— Conspexi mirà tornarier arte
Hîc lapides, fierique cavos, atque inde parati
Vasa ministeriis, humanisque usibus apta,
Præsertim cibis accommoda ritè coquendis.

De eo etiam videatur *Gesnerus de Fig. lap. fol.* 111. *Majolus dierum Canicul. part.* 1. *coll.* 8. *Leander in transpadana &c.* audiendus & *Scaliger l. c.* Ex eo lebetes efficiunt tantà tenuitate, ut penè ductiles videantur. Excisum lapidem extrinsecus lebetis adornant formà. Excavant deinde tantà dexteritate, ut ni interior massa tota eximatur integra, tum ex eà tertia, ab illà quarta, ac deinceps alia, quoad exeat pusillarum capacitas ollarum &c. Lapides hi haud longè Plurio in locis Dasile & Carotto montosis effodiuntur. Plurienses exinde olim quotannis ultra 60000 coronatos lucratos esse *Gulerus Annal. Rhæt. lib.* 13. testatur. In valle Mallengà apud eosdem Rhætos similes lapides, sed paulò duriores, ac supra Thermas Masinenses ad pedem Montis Auriferi dicti, nec non Uscioni ad oppidum Clavennam, fodiuntur. Vulgò de his lapideis vasis perhibent, quòd si venenum iis injectum fuerit, ad ignem ebulliant, & id rejiciant; hinc magno pretio venduntur, & in Italiam, Germaniam, aliasque vicinas regiones exportantur.

Locus.

Vires.

LIBER SECUNDUS.

DE LAPIDIBUS FIGURATIS IN GENERE.

SI innumera corporum copia, ac varietas consideretur, quæ ludens natura præter consuetam generationis materiam summo cum artificio è substantiâ lapideâ producit, vel in eam convertit, meritò quis dicet, vim aberrantis naturæ non minùs admirandam esse ipsâmet facultate regulari ipsi à supremo Architecto inditâ, quâ facit, quæ dixerat: nec non videbitur solicita Rerum Parens Natura pertæsa laboriosi vicissitudinum negotii, quo indesinenter occupatur, quòd ea res mutationi maximè obnoxias petrificando non solùm firmiores reddere conetur, sed insuper innato quodam affectu illas tanquam proprios fœtus mediante hâc metamorphosi immortales efficere intendat.

CAPUT PRIMUM.

Quid sint Lapides Figurati.

PEr Lapides Figuratos intelliguntur corpora lapidea figuræ à vulgari lapidum formâ diversæ inductæ à causâ peculiari lapidis figuram determinante, sive postea hæc sit interna, sive externa.

Lapides figurati in genere quid sint.

Figuræ lapidum dupliciter considerari possunt, vel prout planam lapidum superficiem occupant, & Pictæ exhibentur, vel prout è solidis lapi-

Figura lapidum du-

pliciter cõsiderari possunt.

dum variè transformatorum formis constituuntur, sive hæ sint integri lapides, sive minores majoribus tanquam matrici suæ immersi.

CAPUT SECUNDUM.

Quomodo Lapides Figurati in debitum ordinem redigendi sint.

Cur Lapides Figurati in debitum ordinem redigendi sint.

IMpossibile foret de Lapidibus Figuratis, quorum infinitus datur penè numerus, clarè & distinctè disserere, nisi prius in ordinem redacti, in sua genera & classes distinguerentur, non solùm, ut aliquà methodo enumerentur, sed etiam, ut expositorum probabilitas conjunctione & descriptione plurium, qui figurà & generationis modo magis conveniunt, faciliùs elucescat, quod jam, optimo cum successu duo *insignissimi more Anglorum rerum naturalium Indagatores D. Martinus Listerus in suo præclaro tractatu de Cochlitis Angliæ, & D. Eduardus Luidius in illustri suo Lythophylacio Britannico*, præstare conati sunt, quorum vestigiis in hoc opusculo magnà ex parte insistam, addendo pauca ea, quæ parvo hoc tempore de Lapidibus Figuratis observare mihi licuit, nonnullaque immutando, quæ inceptum tantorum virorum systema dilucidare poterunt.

Mart. Lister. & Eduard. Luid. *duo Insignes rerum lapidearum Indagatores.*

Quomodo in debitum ordinem redigendi sint.

Ad Lapides Figuratos in debitum ordinem redigendos tria sequentia animadvertenda sunt. Primò omnes Lapidum Figuratorum species, ita considerandæ sunt, ut omnia ea, in quibus conveniunt, vel discrepant, diligenter notentur; Si in essentialibus, id est, diversitate figuræ, de quà hìc tantùm agitur, differant, ad plura genera referendæ sunt, si verò magnitudine, colore, odore, vel etiam sapore integram lapidis figuram non immutantibus tantùm dissentiant, in unum genus colligendæ erunt, unde sequentes lapides species sunt ejusdem generis. Ammonis Cornu maximum sex anfractuum, striis lateralibus valde elatis, & in spinam dorsi inter duos sulcos eminentem abeuntibus, juncturis foliaceis ad tertium orbem usque apparentibus. Ammonis Cornu minus duorum anfractuum striis valde elatis, & in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus. Buccinites à sinistrà ad dextram convolutus major cinereus, lævis, quatuor spirarum mucrone productiore. Buccinites à sinistrà ad dextram convolutus minimus, pullus, lævis, trium spirarum mucrone productissimo. Conchites Anomius mediocris, sublividus, rostro prominulo, & veluti pertuso (*Luidio in Lytoph. n.* 837. Terebratula dictus) striis maximis, valvà superiore profundissimà Lacunà donatà. Conchites Anomius, Terebratula dictus, minimus, subflavescens, tenuissimè compressus, & rostro prominulo veluti pertuso, striis tenuioribus, valvà superiore unicà lacunà donatà.

Ex his adductis Lapidum Figuratorum speciebus patet, quòd, sicuti nec diversa multiplicitas anfractuum Cornuum Ammonis novum genus in hujusmodi lapidibus constituit, etenim numerus spirarum aut anfractuum solus lapidum figuras immutare nequit, sed solummodo augere, ita nec differentia

rentia loca, in quibus Lapides Figurati colliguntur, novas ſpecies deſignent, quæ non tantùm numero, ſed additis differentiis magnitudinis & coloris &c. diſtingui debent, prout *Clariſſimus Tournefortius in ſuà elaboratiſſimà rei herbariæ inſtitutione* prudentiſſimè monuit, nam Sphondylium hirſutum foliis anguſtioribus *Caſp. Bauh. Prod.* 88. in Luſatià collectum, non differt ſpeciè ab eo, quod in noſtris Alpibus Rhæticis obſervatur.

Quid ſit Genus Lapidum Figuratorũ.

Secundò, omnes ſpecies, quæ quoad præcipuam figuram & ſtructuram inter ſe conveniunt, genus quoddam conſtituent, ita ut genus Lapidum Figuratorum nil aliud ſit, quàm collectio lapidum figurà & ſtructurà ſuà inter ſe conſimilium, quod nonnunquam ulterius ſubdividitur in primarium, & ſecundarium, vel ſuperius & inferius. Genus primarium vel ſuperius eſt, quod adhuc includit plura genera, quæ viciſſim ſuas ſpecies continent. Sic Stalactites eſt genus primarium, quia adhuc in plura Stalactitarum genera, quorum quodlibet ſuas proprias ſpecies includit, ſubdividitur.

Quid ſit Genus Primarium.

Quid ſit Claſſis Lapidum Figuratorũ.

Tertiò, quemadmodum plures ſpecies, ne confundantur, in ſua genera colliguntur, ita hæc facilioris methodi gratiâ in ſuas claſſes contrahenda ſunt. Claſſis autem eſt collectio plurium generum Lapidum Figuratorum ex unà ſaltem nobiliori ac potiori figuræ & ſtructuræ ſuæ parte inter ſe conſimilium. Quà ratione primo quaſi intuitu omnes ſpecies Lapidum Figuratorum ſub unà claſſe comprehenſas contemplari licet.

Enumeratio octo Claſſium Lap. Figur. Helvetiæ.

Omnes itaque Helvetiæ Lapides Figuratos octo claſſibus complector, quarum.

Prima exhibet Lapides Figuratos Cryſtallinos, quorum nomine intelliguntur omnes Lapides Figurati pellucidi, vel vitri inſtar nitentes, & aliquà peculiari figurà donati, ſive hæc ſit multangula, ſive rotunda, ſive cylindracea, ſive cruſtacea.

Secunda claſſis exhibet Lapides Figuratos Pictos, prout figuræ eorundem planam tantùm lapidum ſuperficiem occupant.

Tertia claſſis exhibet Lapides Figuratos Petrificatos, ſeu Incruſtatos, id eſt, corpora ex naturà ſuà alterius ſubſtantiæ in ſubſtantiam lapideam commutata, vel cruſtà lapideà obducta.

Quarta claſſis exhibet Lapides Figuratos Intortos, quorum orbes ſerpentum in modum in ſe convolvuntur, & Ammonis Cornua vocantur, ad quam claſſem referendi ſunt Nautilitæ ob eundem circumvolutionis modum.

Quinta claſſis exhibet Lapides Figuratos Intortos & Turbinatos, quorum orbes cochlearum in modum producuntur, & Cochlitæ vocantur.

Sexta claſſis exhibet Lapides Figuratos Turbinatos helicem non habentes.

Septima claſſis exhibet Lapides Figuratos Bivalves, qui Conchitæ dicuntur.

Octava claſſis exhibet Lapides Figuratos Tubuloſos, & Tubulitæ appellantur.

CAPUT TERTIUM.

Montes Helvetiæ ejusque Viciniæ, in quibus Lapides Figurati communiter colliguntur, enarrantur.

Helvetia montosa regio.

HElvetiam nostram summis & saxosis montibus non solùm ex omni parte esse cinctam, sed ipsam quoque regionem iis è lapidum congerie à potiori exstructis undique abundare nemo ignorat, ita ut non minùs præcipua omnium fermè lapidum matrix videatur, ac à plerisque Geographis prima maximorum Europæ fluminum scaturigo, & fons perhibetur, quæ inter petrosas Helvetiæ cavernas orta, lapideoque semine impregnata, illud per omnem demissioris terræ partem diffundunt, & distribuunt.

Fluminũ & lapidũ præcipua mater videtur.

Lapides figurati tãtũ in montibus reperiuntur rarò vel nunquã in vallibus. Ratio.

In quamplurimis Helvetiæ montibus colliguntur lapides figurati, in vallibus verò rarò, vel nunquam, nisi è montibus illuc decidant, vel à torrentibus transportentur, quamobrem judicandum puto, montes & colles, locaque eminentiora ad generationem lapidum figuratorum magis congrua esse, quàm valles, aut apertæ planities, vel ob diversam aëris ambientis qualitatem, vel ob peculiarem terræ texturam, quæ semper plùs ad naturam lapidis in montibus inclinat. Vel denique, quia seminio testaceorum in mari delitescenti major patet aditus ad montes, quàm ad planities & valles; probabile enim est, plerosque altiores montes, & mare inter dari quandam subterraneam communicationem, mediante quà aqua è mari elicitur, & per subterraneas montium cavitates, vel etiam strata porosa tanquam per totidem alembicos saxosos ad summos eorum apices attollitur, à quibus demum in formà fontium, rivulorum, & fluminum per omnem inferiorem terram ad necessarium viventium usum, fertilitatemque terræ inducendam magnà sanè optimi Creatoris providentià distribuitur; per dictas subterraneas communicationes seminium testaceorum utpote leve & minutum facillimè unà cum vaporibus aquæ ascendentibus elevatur, & ad extimam altissimorum montium superficiem transportatur. His adde, si cryptæ Æolicæ vulgò: *VVindtlœcher*, *Athem-oder lufftlœcher*, per quas aër rapido motu constanter agitatur, & transpirat, in altioribus montibus frequenter obviæ cum subterraneis cavernis aut canalibus ad mare usque protensis unirentur, nullus inficias ibit, quod latentia semina levissimo negotio ab inclusis vehementioribus ventis ad superficiem montium usque raperentur, sed de his plura infra dicentur.

Montes sunt alembici aquarum naturales & saxosi.

Crypta Æolica quid. VVindtlœcher, Athem-oder lufftlœcher.

Montes Lucernenses, qui lapides figuratos suppeditant. Langenstafflen.

Montes Ditionis Lucernensis, (ut à Patriâ meâ incipiam] in quibus lapides figurati occurrunt, sunt sequentes. Primò mons *Langenstafflen* adjacens monti Pileato è parte Septentrionali in copiâ suppeditat lapides Frumentarios summâ elegantiâ elaboratos, qui etiam in summitate montis Fracti, seu Pileati vulgò: *VViderfeld.* dictâ inveniuntur. Alius mons prædictis longè minor situs est prope pagum Reiden leucâ Zoffingâ civitate Bernensi distantem; Supra quem locata est arx VVicKa, & colliguntur lapides

pides figurati in magnà quantitate, præsertim autem Conchitæ striati, & læves, nec non Glossopetræ, quæ etiam in montibus Monasterio Sancti Urbani proximis eruuntur. E montibus Entlibuochii afferuntur elegantissima Cornua Ammonis marcasitacea diversæ speciei; demum in collibus prope montem Regium vulgò: *Riggiberg* propter abundantem suam fertilitatem ita appellatum, non multùm à pago VVeggis distantibus nascitur Odontoides, seu lapis Dentiformis *VVagneri*. Riggiberg.

In Agro Tigurino fertilitate & copià lapidum figuratorum omnes fermè alios patriæ nostræ montes superat mons Legerius vulgò: *Legerberg*, in cujus summo apice *auf dem Schranden* innumera Cornua Ammonis, Cochlitæ, Conchitæ, Lapides Judaici, Caryophyllitæ, & plura alia genera deprehenduntur, deinde montes prope pagum Andelfingen, & oppidulum Bulacum ejusdem Territorii non solùm Stalactitas, sed quoque Conchitas, aliosque lapides figuratos proferunt. *Montes Tigurini.*

In Dominio Bernensium ob proventum lapidum figuratorum celebres sunt montes cinerei *die Eschenberg* unà cum monte Doronaz in præfecturà Sanensi. *Montes Bernens.*

Alpes Uraniensium, Suitensium, Subsylvanorum, Glaronensium & Abbatiscellanorum commendantur ob Selenitas, Crystallos, lapides Frumentarios, varios Pyritas, & Cornua Ammonis marcasitacea nec non Grammitas, qui in iis frequenter gignuntur. *Alpes Uraniens. Suitens. Sub sylv. Glaronens. Abbatisc.*

In montibus Basileensium ad oppidulum *Liechstall*, pagos *Kilchberg* & *Oltingen* nec non ad arces *Farnsburg* & *Munchenstein* plurimæ lapidum figuratorum species producuntur. *Montes Basileenses.*

Nullibi verò copiosiùs reperiuntur, quàm in monte Randio (*der Randen*) Ditionis Schafhusianæ, qui lapidum figuratorum abundantià ipsum Legerium montem facilè superat, vel saltem adæquat. In hoc pulcherrimi Echinitæ plurium specierum è saxis eruuntur, qui in nullà alià Helvetiæ parte tam frequentes & elegantes sese offerunt. Circa Siblingam & Haloviam ejusdem regionis colliguntur Belemnitæ in magnà quantitate. *Montes Schafhusiani.*

Sunt præterea montes in comitatu Toggenburgensi prope Monasterium Fischingense, dein in Territorio Principis Monasterii S. Galli prope ipsam urbem & oppidum Roschac. in Badensi proximi civitati Badenæ, aliique ejusdem præfecturæ non procul à Lüggeren, & nonnulli Provinciarum Liberarum vulgò: *in den Freyen Aembteren*, in quibus maxima Cornua Ammonis, Cochlitæ, & Conchitæ effodiuntur, & comparantur. *Montes Regionum Helvetiæ foederatarum, vel subditarũ.*

E vicinis Helvetiæ regionibus plures species lapidum figuratorum suppeditat Comitatus Neoburgensis (*Neufchatel*) nimirum ad Sionen Fluvium, *à Souchie*, *à Haute-rive*, *& à Prise*, cui fertilitate proxima est *Frickthal* prope Rheinfeldam & Lauffenburgum. Lapidicina verò Œningensis circa oppidum *Stein* copià Stalactitarum, Dendritarum, lapidumque Pictorum cuncta enumerata loca superat. *Montes Regionum Helvetiæ vicinarum*

HISTORIÆ
LAPIDUM FIGURATORUM
HELVETIÆ, EIUSQUE VICINIÆ.
PARS II.

Enumerantur Classes, Genera, & Species Lapidum Figuratorum Helvetiæ ejusque Viciniæ.

CUm superiùs jam sufficienter expositum sit, quid sint Lapides Figurati in genere, quid intelligatur per eorum classes, genera, & species, immediatè eorum enumerationem aggrediar, in quà primò eorum nomina proponam, deinde modum generationis exponam, quibus demum vires hucusq; notas cujuslibet generis lapidum quandoq; etiam specierum, si quàdam peculiari virtute donari videantur, cum suis locis nativis subjungam, fit itaque.

LIBER PRIMUS.

IN QUO DESCRIBITUR CLASSIS PRIMA COMPLECTENS LAPIDES FIGURATOS CRYSTALLINOS.

Quid sint Lapides Figurati Crystallini

LApides Figurati Crystallini vocantur ii, qui sunt pellucidi, vel vitri instar nitentes, & aliquà peculiari figurà donati, sive hæc sit multangula, sive rotunda, sive cylindracea, sive crustacea.

TABULA GENERICA.

Lapidum Figuratorum Primæ Classis.

Lapides Figurati Crystallini.	Pellucidiores.		Gemmæ. Crystallus montana. Selenites.
	Obscurè pellucidi.	Stalactitæ.	Stiriæ-formis. Crustaceus. Tubulatus.
	Opaci, & Vitri instar leviter nitentes.		Stalagmites. Talcum. Ceraunias.

CAPUT PRIMUM.

Lapides Figurati Crystallini pellucidiores.

GENUS I.

Gemmæ Helveticæ.

PEr Gemmas intelliguntur lapides naturà parvi, rari, duri, ac pulchri. Parvos vocant eos lapides, qui ratò ovi gallinacei magnitudinem superant. Raros, qui in paucis Provinciis, & non frequenter inveniuntur. Duros, qui neque digitis teri, neque ferro scindi possunt: horum iterum tres statuuntur gradus; quidam enim chalybeâ lineâ radi possunt, ut Turchesia. Quidam non nisi Smiri lapide teruntur, ut Jaspis. Quidam cum Adamante tantùm, ut Adamas, Topasius Orientalis &c. Pulchros, qui colore, diaphaneitate, radiorum reflexu, aut figurâ concinnâ visui grati sunt. Colore pulcher est Turchesia, diaphanus Crystallus, radios reflectit Jris, figurâ concinnus Astroites, & Oculus Cati &c. *Quid sint Gemmæ.*

Materia gemmarum est succus lapidescens valde tenuis, & defæcatus in petrificatione lapidum duriorum ad eorum superficiem vel centrum efflorescens, sensimque etiam concretus, qui pro diversitate colorum liquoris viscidi & ramosi à dispositione sulphuris in eo contenti derivantium diversos quoque colores contrahit. *Materia gemmarũ.*

Quod ad eorum virtutes spectat, hìc nullam facio mentionem, cùm mei instituti non sit de omnibus gemmarum speciebus differere, sed tantùm de iis, quæ in Helvetiâ nostrâ reperiuntur, quarum virtutes probabiles suo loco non omittam, missis iis, quæ naturaliter prorsus impossibiles sunt,

& non

& non nisi à Deo, seu causà supernaturali, & occultà produci possunt, potiusque superstitioni Inventorum adscribendæ sunt, quàm quòd revera dentur.

Species. Species sunt:

Tab. 3. Flores Hæmachatis. *Rothes Agtstein-bluest. Tab. 3. litt. C.*

Achates quid. Achates germanicè: *Agtstein* à flumine Siciliæ, in quo primò inventus est, nomen suum trahit, gemma variorum colorum est, propter quos etiam plura nomina sortitur, imò coloribus sæpius diversas figuras naturales exhibet. Si maculis suis & venis cornu referat, Cerachates vocatur, si arbores & nemora, Dendrachates, si per colorem nigrum, fuscum, aut cœruleum venæ albæ excurrant, Leucachates dicitur, si rubicundæ, Hæmachates, si Sardæ instar rubet, Sardachatem, si Coralleo more, Corallachatem appellant. Nostri flores venis rubris per maculas cæruleas excurrentibus donati sunt, & ideo ad Hæmachatem referendi, magnitudine figuras tabulætertiæ æquant, duritiei insignis sunt, rari, splendentes, & politissimi.

Agtstein.

Eius differentiæ.

Achates producitur è succo lapidescente tenuissimo in principio generationis aliorum lapidum ad eorum superficiem, vel fissuras, aut cavitates propulso, ac è liquore terrestri viscido & ramoso valde defæcato, coloribusque pluribus ob varias sulphuris contenti dispositiones imbuto, qui prout per substantiam lapidis diffunduntur, in eà quoque multivarias figuras producunt.

Vires. Achates pro summo Alexipharmaco, & Cardiaco habetur, propterea venenis pestiferis, Viperarum, & Scorpionum morsibus resistere creditur, cor refocillare, & ab omni contagii genere custodire. In ore contentus sitim sedat, & febriles æstus attemperat. Plures illum gestant amuleti loco contra febres intermittentes, præsertim quartanas, rubro colore tinctus hæmorrhagias sistit. Ex Achate vascula pretiosissima elaborantur, nec non coronæ, tam precariæ, quàm ad colla virginum exornanda per quam artificiosæ.

Locus. Flores Achatis inventi sunt ex parte meridionali montis S. Gothardi in rivulo è cacumine montis delabente proximo viæ, quà itur ad subjectum pagum Airolam ditionis Uranienſis, quo in loco plures Granati Spato pulcherrimo immersi simul occurrunt, qui secundam hujus generis speciem constituunt.

Tab. 3. Granatus Helveticus dodecalateron ex flavedine obscurè rubens. *Tab. 3.*

Ein schvvartz-rothe schvveitzerische zvvoelffeggige granaten.

Granatus. Ein Granaten. Granatus germanicè: *Ein granaten:* Gallis: *Vermeille*, ob colorem ex flavedine atro-rubentem, & quia soli expositus igniti carbonis speciem præseferat, ex genere Carbunculorum censetur. Gemma dura est, ex flavedine obscurè rubens ignis aut Minii nativi instar, neque in igne colorem suum perdit. Noster Helveticus dodecalateron est, & magnitudine nucem avellanam æquat, politus, splendens, ac rutilans. Potissimum occurrit immersus pulcherrimo quartzo, seu etiam spato micis copiosis, nunc aureis, nunc argenteis nitentibus, vulgò: argento vel auro felium: *Katzen- oder Hennensilber*. Tyrolensibus, referto striisque miniatis lapidem sine ordine percurrentibus exornato, de quo inferius in classi de lapidibus pi-

Aurum felium. vel Argentum feliũ Katzen-

ctis

ctis pauca addam. *Vide Tab.* 3. *lit. A*, quæ denotat granatum matrici suæ adhuc inhærentem, altero ab eà separato. Ratione locorum, in quibus Granati inveniuntur, dividuntur in Orientales, Occidentales, & Bohemicos, qui omnium optimi imprimis quoad vires medicinales habentur: generatur ut Crystallus, de quà infrà; colorem verò suum eodem modo acquirit, quo reliquæ gemmæ.

oder. Hennensilber. *Generationis modus.*

Granati in pollinem redacti exsiccare putantur, & corroborare, tristitiæ ac melancholiæ resistere, unde electuariis cordialibus permiscentur. Eorum præparatio sequens est: Igniti in oleo salis extinguuntur ad eorum solutionem usque, cui affunditur oleum tartari, quo in lactis cremorem quasi coagulantur, qui demum edulcorandus est, & usui servandus.

Vires Granatorum. Et eorum præparatio.

Noster Granatus Helveticus in parte montis S. Gothardi superiùs descriptà copiosè colligitur solus, & matrici suæ adhuc immersus.

Locus.

Similes habentur etiam in Tyroli, nec non in montibus Veronensibus sub Serenissimo Dominio Veneto, ubi quoque minimi granati inveniuntur pellucidi, & pulcherrimè colorati, qui Flores Granatorum appellari poterunt. Maximus Granatus hìc Venetiis mihi fuit donatus ab Amicissimo Viro, & ab eo vocatus fuit Orientalis, quia ex iis regionibus transmissum accepit. Pondere suo ad unciam unam & drachmas quinque cum dimidiâ proximè accedit. Pars ejus convexa formatur è tribus planis ad unum angulum centralem coeuntibus, oppositâ parte planâ existente. Elegantissimi est coloris incarnati saturatioris adinstar Granatorum Bohemicorum, & hinc inde pellucidus, quamvis majori ex parte adhuc impuriore materiâ à matrice superstite inquinatus sit.

Flores Granatorum. Granatus Orientalis maximus.

GENUS II.

Crystallus Montana.

CRystallus Montana est lapis figuratus pellucidus, multangulus, qui nomen accepit à glacie, cui quoad colorem, & perspicuitatem similis est. Germanicè vocatur: *Crystall.* alpinis nostris: *Stralstein*, eò quòd crederent, eam à fulmine cadere, & gigni.

Crystallus montana. Crystall. Stralstein.

Crystallus est lapis minùs durus, diaphanus, splendens, coloris albi, flavescentis, & quandoque nigri, figuræ potissimùm hexagonæ, nonnunquam pentagonæ, & aliquando etiam tetragonæ in mucronem abeuntis in summis montibus nascens. Gignitur ex materiâ liquidâ summopere defæcatâ, quæ hinc inde per poros lapidum in petrificatione suâ efflorescens in substantiam lapideam, & transparentem coagulatur, & non rarò corpora ipsa, supra quæ in efflorescentiâ suâ irruere solet, involvit: unde tantæ rerum varietates Crystallis immersæ observantur, ut non solùm gramina, Amianthum, & pilos, sed quoque ipsam commixtam aquam ad metamorphosin hanc subeundam minùs aptam aliquando inclusam retineat. A majore & minore hujus aquæ lapidescentis efflorescentiâ majora vel minora Crystalli corpora dependent, ita ut, si guttatim emanet, flores excrescant, si verò copiosiùs fiat destillatio, plures simul, & majores Crystalli assurgant.

Crystallus montana. Crystalli descriptio. Generationis modus.

Non rarò integra Crystalli superficies obducitur crustâ seu tunicâ sub-

Tunica Crystalli.

Quid sit. Chrystal-hembdt. viridi, (nostris: *Chrystal-hembdt.*) non adeò densà, opacà tamen inæquali, asperà, & tenaciter adhærente, ita ut lapis tali involucro donatus nil minùs quàm Crystallus crederetur, & plerumque quæ tali tunicà indutæ sunt longè pellucidiores & puriores existunt reliquis, ideòque etiam pluris æstimantur. Probabile est hanc crustam esse materiam sulphuream viscidam in constrictione, seu condensatione Crystalli lapidescentis tanquam ad coagulationem minùs dispositam ad superficiem lapidis expulsam, in quà ab ambiente externo in talem crustam mutata est, & non immeritò Armatura Crystalli appellari potest.

Crystalli vires. Crystallus sub linguà febricitantium posita sitim sedat, manibus retenta ægrorum calorem mordentem attemperat, in pollinem redacta, & ad drachmam unam assumpta dysentericos, & album mulierum fluxum curat, eorumque lac auget: sublimato devorato cum oleo amygdalarum dulcium exhibita resistit, cœliacum fluxum tanquam Alexipharmacum supprimit, & calculum per urinam pellit, collo tandem infantum appensa somnia terrifica impedit. Ad usum externum varia ex eà fabricantur ornamenta, quæ pro ratione magnitudinis, & artificii carè venduntur. Chalybis affrictu ex eà multus ignis elicitur.

Species. Species sunt:

Crystallus Montana pentagona, seu hexagona immatura.
Crystallus Montana pentagona, seu hexagona alba.
Crystallus Montana tetragona alba.
Crystallus Montana pentagona, seu hexagona sublutea.
Crystallus Montana pentagona, seu hexagona spadicea.
Crystallus Montana pentagona, seu hexagona rufescens.
Crystallus Montana pentagona, seu hexagona nigra.
Tab. 5. Crystallus Montana pentagona alba cariosa. *Tab.* 5.
Crystallus Montana hexagona alba cariosa.

Crystallus cariosa quid. Hanc Crystallum voco cariosam, quia cavitatibus, & foraminibus plena est, ita ut cariosa videatur, & vix plana latera inter angulos contenta distingui queant. In pluribus cavitatibus deprehenditur pulvis subviridis nonnihil splendens, & cum materià tunicæ Crystallos quandoque investientis valde analogus, quamobrem suspicari licet, eandem esse materiam sulphuream viscidam, quæ intra ipsum corpus Crystalli lapidescentis utpote ad metamorphosin lapideam subeundam inepta confluebat, & sibi tales cavitates efformabat, impediendo nimirum materiæ lapidescentis expansionem versus illas partes, sensimque in talem pulverem subviridem exsiccabatur.

Crystallus Montana alba globosa.

Hic Lapis mole suà caput infantis superat, & omnino globosus est, ita ut nullum prorsus angulum habeat, asservaturque ab Illustriss. Domino Schmidt Capitaneo Generali Cantonis Uraniensis.

Crystallus Montana cum aquà inclusà. Mus. Septal. Mediolan. quæ etiam ex Helvetià apportata est.

Crystallus Montana alba plurium angulorum irregularium venis argenteis rectis pulcherrimis, & splendentibus donata.

Unde quãdoque ve- Hæ venæ producuntur à minimis cavitatibus Crystallum rectà lineà pene-

Selenitæ. Tab. 3.

Crystallinus.

Botrites.

Rhomboidalis.

A

Crystalli cum fol: Gram: Amianth: et Pilis inclusis

c c

Ceraunias.

Flor: Cry:

Granat: Heluet:

A

A

A

A

B

netrantibus, & pulvere subviridi nonnihil splendente superiùs descripto repletis, quæ radios admissos ita reflectunt, ut nostris oculis lineæ, seu venæ argenteæ appareant. *na argentea in Crystallo appareant.*

Crystallus Montana pentagona cum gramine incluso. *Vide Tab. 3.* Tab. 3.

Crystallus Montana pentagona cum foliolis alicujus fruticis inclusis. *Tab. 3.*

Crystallus Montana hexagona cum arenà inclusà, & ad aspectum iridem referens.

Crystallus Montana hexagona cum pilis inclusis. *Tab. 3.*

Crystallus Montana hexagona cum Amiantho incluso. *Tab. 3.*

Crystalli Montanæ flores utrinque hexagoni, & in utràque extremitate acuminati. *Gesnero ἀροφίκεις* dicti. Iris vulgaris Adamas Bristorcensium, vulgò dicta *Luidio. Tab. 3. lit. A.*

Crystalli Montanæ flores utrinque hexagoni omnium minimi Pseudo-adamantes dicti. *Tab. 3. lit. B.*

Crystalli Montanæ matrices variæ.

In Helvetià reperitur Crystallus in montibus Schniden apud Subsylvanos, *Leiterberg.* apud Glaronenses, *Rossmatt* in Valle Crazerà, Grimsulà, Gothardo, Furcà. Rhæti illam inveniunt in valle Æthuacià, Masinensi, & monte Rubro. Colligitur plerumque in proruptis rupibus, aliquando ad radices montium, nonnunquam aratro eruitur, & à torrentibus deportatur. *Locus.*

GENUS III.

Selenites seu Lapis Specularis.

SElenites seu Lapis Specularis ita vocatur, quia pellucidus est, & rei, quæ à tergo est, imaginem reddit. Germanis: *unser Fraauen-eis*, idest: Glacies Mariæ. *Selenites seu Lapis Specularis* Unser Frauen-eis.

Describitur, quòd sit lapis pellucidus, & splendens colore albo cinereo, vel etiam nigricante, qui aliquando in bracteas scissilis est, & Crystalli instar translucet, sæpe saxis inhæret, aliquando laterculis distinguitur, & subinde Crystalli in modum excrescit, à quà potissimum differt, quòd vel in bracteas vel latercula dividi possit. *Selenitis descriptio.*

Selenites generatur ex aquà multo sale, & succo viscido seu ramoso valde depurato impræguatà, quæ in principio petrificationis aliorum lapidum tanquam materia ob suam tenuitatem ad coagulationem lapideam minùs apta hinc inde per eorum substantiam lapidescentem propellitur, ac transudat, infinitosque & minimos saxorum poros pervadendo denuò defæcatur, donec ad aliquas minores subterraneas fissuras, & cavitates seu foveolas pertingit, & in iis collecta consumptà priùs calore subterraneo superfluà humiditate non aliter ac in præparatione salis fixi plantarum fieri solet, in pulcherrimos Selenitas crystallisetur Crystallis nitri non multùm absimiles, qui succo viscido irretiti in duritiem lapidis figuntur. *Generationis modus.*

Prædictæ cavitates seu foveolæ copiosè deprehenduntur in lapidicinà Molarium, seu Mylitarum VValdshuetii, quæ nullam certam magnitudinis *Descriptio foveolarũ.*

in quibus Selenitæ nascuntur

& figuræ formam servantes usque ad tertiam cavitatis partem repletæ sunt aquà per poros saxi defluente, earumque parietes nunc longioribus, nunc brevioribus Seleniticis Crystallis undique obducuntur, sub quibus latet crusta crocea vicem matricis agens, quæ unà cum Crystallis pellucidis, & splendentibus gratissimum foveolæ seu cavitati colorem conciliat.

Vires crustæ foveolas interiùs obducentis.

Ex hàc crustà pharmacopœus VValdshuetanus D. Joannes Adamus Dempfle artis suæ peritissimus mediante spiritu vini rectificato tincturam rubicundissimam extrahit, quæ tussi & asthmate laborantibus ad aliquod guttulas in convenienti vehiculo cum fructu propinatur, & luculenter probat, prædictam crustam produci à sulphure crudiore absumptà aquà confluente, & visciditate suà parietibus undique adhærente, quod ob suam crassitiem & cruditatem à particulis salinis in Crystallos erumpentibus allici non potuit. Imaginem talis foveolæ seu cavitatis (quæ VValdshuetii à lapicidis: *Schneckenloch* in vernaculà linguà vocatur:) ad majorem generationis lapidum transparentium, & pretiosorum cognitionem addo in *Tab.* 5. *lit. A* foveola seu cavitas: B Selenites hinc inde in Crystallos concretus: & C crusta crocea indigitatur.

Modus generationis.

Schneckenloch. Tab. 5.

Causa laterculorũ, aut Crystallorum, è quibus Selenites conflatur.

Quod autem Selenites sæpius laterculis distinguatur, vel in figuram Crystalli hexagonam, seu pentagonam excrescat, aut è bracheis subtilibus confletur, diversus columellarum salinarum situs, & dispositio in causà est, quæ à succo viscido & ramoso diversimode irretitæ in suà crystallisatione vario quoque dirigunturmodo; unde si columellæ salinæ ad se invicem sint parallelæ, ut aliquod planum constituant, atque in succo viscido ita irretitæ sint, ut sibi tam faciliter cedere nequeant, corpus in laminas divisum formabunt. Si verò particulæ salinæ non solùm ad se invicem sint parallelæ, sed sibi quoque plures incumbant, lapidem laterculis distinctum constituent, & demum si in acervum fuerint congestæ, ut vel prisma, vel pyramidem efforment, Selenitem Crystallo similem producent.

Quæ ab ambiente nõ possunt formari.

Non me latet, plures Philosophos modernos contendere, figuram Crystallorum hexagonam, seu pentagonam &c. à particulis ambientibus, & sibi mutuò incumbentibus, frustulaque nascentis lapidis variè comprimentibus produci, cùm verò omnes lapides crystallini æquali modo ex materià liquidà concrescant, & tamen diversas figuras, licet semper quasi angulares, nanciscantur, potius latentibus salibus, qui in suà crystallisatione determinatas figuras acquirunt, ac diversimodè uniuntur, differentia figurarum adscribenda videtur: etenim hi à proprià naturà ad peculiarem figuram determinati tam faciliter immutari nequeunt, ac dispositio particularum, quæ nunc ob miscelam corporum heterogeneorum, nunc ob ambiens ipsum magnopere mutationi obnoxia est, sine subsequente tamen variatione figuræ materiæ petrificandæ, quæ necessariò quoque immutari deberet, si à particulis sese præ gravitate comprimentibus produceretur, ac determinaretur.

Selenitis usus.

Selenitis ramenta cruda cum vino austero pota dysentericos juvare habetur ex *VVormio*. Mulieres ad faciem dealbandam, & derugandam ejus calcem adhibent: fenestræ verò, & laternæ jam *Senecæ* tempore ex eo fuerunt confectæ.

Species.

Species:

Se-

Selenites maximus compressus.

Maximus est hic lapis triangularis, & diametro suo tres pedes Augustanos colligit, crassitie verò tertiam partem è meris laminis albicantibus seleniticis constat, diversæ figuræ, & diversimode sitis. Allatus fuit ex alpibus Glaronensibus, & supra triginta libras ponderat.

Selenites compressus cum minerâ plumbi.

Selenites partim compressus, partim acuminatus diversi coloris.

Selenites Rhomboidalis pellucidior, cujus minimæ partes rhomboidales sunt. *Vid. Tab. 3. lit. A.* Tab. 3.

Selenites Rhomboidalis albicans, sed non adeò pellucidus.

Selenites Rhomboidalis fuscus.

Selenites figurâ Crystallum referens, seu Crystallinus, *Tab. 3.*

Selenites Botrites. *Tab. 3.*

Selenites luteus. *Farnsburgensis lapis luteus. VVagn. Helv. curios. pag. 309.*

Hunc lapidem inveni ad arcem Farnsburgensem ditionis Basileensis pellucidus est, & succino luteo haud absimilis.

In Helvetiâ è montibus Glaronensibus & Abbatiscellanis Selenites purior affertur, purissimum autem candidum, & diaphanum suppeditat Moscovia. *Locus.*

CAPUT SECUNDUM.

Lapides Figuràti Crystallini obscurè pellucidi.

GENUS I.

Stalactites Stiriæ-formis.

STalactites Stiriæ-formis seu Stillatitius lapis, Germanis *VVallstein*, seu *Tropfstein* appellatus, eò quòd à chirurgis ad ossa consolidanda adhibeatur, quamobrem etiam ad Ostiocollas refertur, est lapis minùs durus, coloris flavescentis, obscurè pellucidus, & vitri instar leviter nitens ita dictus, quia stirias ex aquâ congelatas præsefert. *Stalactites Stiriæ-formis. VVallstein, seu Tropfstein.*

Generatur ex aquâ præsertim nivis solutæ sale lapidifico imbutâ, quæ per saxa & lutum profluens ramenta lapidum secum rapit, hæc ob vehementem continuum aquæ motum cum illâ intimè commiscentur, ut proinde aqua ad cavitates subterraneas delapsa, & à calore subterraneo, qui hyeme ob occlusos terræ poros non parum augetur, tenuiore suâ parte sub formâ vaporum avolante despoliata unâ cum contento succo terrestri ramoso, & sale lapidifico in substantiam lapideam convertatur, atque à diverso cadendi, vel etiam fluendi modo, ipsiusque loci situ varias figuras obtineat, quo palam fit, calorem non minùs, ac ipsum frigus concretiones lapideas juvare. *Descriptio. Generationis modus. Calor non minus, ac frigus concretiones lapideas iuvat.*

Pulvis hujus lapidis ad drachmam unam assumptus sudores movet, & calculum expellit, externè Chirurgi illum adhibent ad ossa fracta ferruminanda, & conglutinanda. *Vires.*

Species:

Stalactites Stiriæ-formis maximus. *Species.*

Ma-

Maximus est hic lapis, longitudine enim tres pedes Augustanos superat, & crassitie brachium humanum adæquat. in lapidicinà Œningensi inventus est.

Stalactites Stiriæ-formis minor.
Stalactites Stiriæ-formis minor armaturà splendente purpureà insignitus: *Vid. Tab.4. fig. 1. lit. A.* hic lapis magnitudine suà figuram ter superat.
Tab. 4. Stalactites Stiriæ-formis armaturà splendente viridi & aureà ornatus.
Stalactites Stiriæ-formis columnaris. *Tab.4. fig. 2.*
Stalactites Stiriæ-formis Botrites *VVormii in suo museo. fol. 50.*
Stalactites Stiriæ-formis guttatim concretus.
Stalactites Stiriæ-formis collem cum arboribus referens.
Stalactites Stiriæ-formis arborem referens.
Stalactites Stiriæ-formis mammillaris opacus.
Stalactites Stiriæ-formis muscum referens. *Tab.4. fig.3.*
Stalactites Stiriæ-formis Crystallum referens, *Pseudo Crystallus Kirchero.*

Locus. Stalactites invenitur sub terrà in cryptis lapideis, & canalibus, per quos aqua decurrere solet, plurimæ species ex lapidicinà Œningensi prope oppidulum *Stein* ad Rhenum effodiuntur, invenitur etiam in ditione Bernatum non procul ab arce *Bruneck*, & circa cataracten Rheni inferiorem ad Lauffenburgum, nec non prope VValdshuetium & Adelfingam agri Tigurini. Ex VVallesiâ eos quoque afferri testatur *VVagnerus lib. cit.*

GENUS II.

Stalactites Crustaceus.

Stalactitis Crustacei descriptio. STalactites Crustaceus durior est primo, & colore saturatior è plurimis crustis sibi invicem incumbentibus concretus, quoad locum nativum, modum generationis, & proprietates cum priore convenit.

Species. Species:
Tab. 4. Stalactites Crustaceus vulgaris. *Tab.4.*
Stalactites Crustaceus caseum referens.
Stalactites Crustaceus saccharum crystallisatum referens.

GENUS III.

Stalactites Tubulatus.

Stalactitis tubulati descriptio. STalactites Tubulatus in formam tubulorum minimorum congelatus est, qui prædicto modo supra paleas & stramina concrescit, quæ postea deciduæ talia foramina post se relinquunt, plerumque est nivei coloris, vel etiam cinerei, & quandoque striatus.

Species. Species:
Tab. 4. Stalactites Tubulatus niveus & striatus. *Tab.4. fig.1.*
Stalactites Tubulatus cinereus & striatus. *Tab.4. fig.2.*
Stalactites Tubulatus albicans tuberosus.

Tab. 4.

Stalactitæ Stiriæ-formes.



Tubulati.





Stalactites Crustaceus.



Stalagmitæ Bellarijs Similes. Tab. 5.

Talcum.



Amianthus.



Crystallus cariosa.

Matrix Selenitarum Subterranea.



CAPUT TERTIUM.

Lapides Figurati Crystallini opaci, & Vitri instar leviter nitentes.

GENUS I.

Stalagmites.

STalagmites est lapis figuratus opacus, albicans vel subrotundus, vel cylindraceus nitens, ac bellaria referens, nascitur ut Stalactites ex aquâ non adeò depuratâ in parva subrotunda, vel cylindracea corpora semina saccharo albissimo obducta non ineptè mentientia concrescente. Itali ex iis optimam calcem ad ædificia construenda præparant, & ab iis vocantur: *Confetti de Tivoli.* *Stalagmites.*

Species:

Stalagmites bellaria subrotunda lævia referens. *Tab.* 5. Tab. 5.
Stalagmites bellaria cylindracea lævia referens. *Tab.* 5.
Stalagmites bellaria subrotunda aspera referens. *Tab.* 5.
Stalagmites bellaria cylindracea aspera referens. *Tab.* 5.

In iisdem locis cum Stalactite occurrit. *Locus.*

GENUS II.

Talcum.

TAlcum est lapis figuratus opacus non adeò durus, albus leviter nitens è laminis & fibris rectis argenti instar splendentibus conflatus, igni summè resistens: nam ab eo nec funditur, nec comburitur, imò nec colorem suum amittit nisi maximâ ignis vehementiâ; à Germanis vocatur: *Talch.* *Talcum.* Talch.

Nascitur ex aquâ oblongis Selenitarum vel ipsius Gypsi ramentis imbutâ, quæ, dum aqua in cryptis subterraneis stagnat, inter se implicantur, & paulatim in substantiam lapideam à vaporibus calidis superfluam aquæ quantitatem absumentibus conglutinantur, non secùs ac polypus in corde à filamentis candicantibus sanguineis sibi invicem irretitis efformatur. Haud dissimili modo ipsum Amianthum generari valde probabile est; utriusque enim lapidis striæ seu lamellæ rigore suo & splendore manifestè indicant, quòd vel à Selenite, aut alio simili lapide splendente & rigido derivent. *Generationis modus.* *Amianthus quid.*

Talcum astringit, & sanguinem sistit, ideo dysentericis, sanguinem spuentibus, nimio hæmorrhoidum & menstruorum fluxu laborantibus ab aliquibus internè applicatur, non tamen sine periculo: crudum enim assumptum strangulare dicitur, externè adhibitum easdem vires exserit, & abscessus mammillarum, parotidum, & testiculorum prohibet. Chymici non minùs ejus oleum expetunt, ad æs in argentum convertendum, ac mulie- *Talci vires.*

lieres, quo sibi nitorem concilient, ex crustis filo ferreo conjunctis fiunt quoque Thryallides perpetuæ.

Species. Tab.5.

Species:

Talcum saxatile candidum *VVagneri. lib.cit. fol.*323. *Tab.*5.

Talcum Rhæticum crustosum subviride obscurè transparens.

Loca nativa.

In pluribus locis Germaniæ effoditur, in Helvetià apud Glaronenses invenitur in monte *Limmeren*, ubi mineris Crystalli adnascitur, deinde prope fodinam metallicam supra Sargans, & circa pagum *Evedingen* ditionis Blasianæ in Suevià.

GENUS III.

Ceraunias.

Ceraunias vulgo: Donnerstein.

CEraunias vulgò: *Donnerstein* est lapis figuratus opacus leviter nitens magnitudine pugnum vix adæquans, & compressus, cinerei coloris, asper & inæqualis, atque hinc inde fissuris profundis insignitus.

Generationis modus.

Generatur intra nubes à nitro, sulphure, aliisque terrestribus exhalationibus simul accensis, & detonatis, prout fit lapis huic prorsus similis è sabulo aquæ pluvialis, sulphure & nitro simul deflagratis. Cerauniam in quercum impingentem mollis adhuc fuisse substantiæ, indicant fissuræ à fragmentis ligni fulmine divisi inductæ.

Vires.

Aliqui volunt, lapidem hunc, si in cunis, asservetur, infantem ab hernià curari, & præservari, deinde ejus præsentiam somnum provocare, quorum fides sit penes Authorem.

Species. Tab.3.

Species:

Ceraunias subrotundus, compressus, inæqualis, asper, cinereus, pluribus fissuris insignitus. vid. *Tab.*3. *lit. A.*

Locus nativus.

Inventus est in quercu post fulmen, cum quo è nubibus decidisse retulerunt.

LIBER SECUNDUS.

IN QUO DESCRIBITUR CLASSIS SECUNDA COMPLECTENS LAPIDES FIGURATOS PICTOS.

Quid sint Lapides Figurati Picti.

LApides Figurati Picti vocantur ii, quorum figuræ planam tantùm lapidum superficiem occupant, & tanquam coloribus pictæ repræsentantur sine sensibili lapidis elevatione, & quorum figuræ in extimà saxorum fissilium superficie, quà contigua sunt, plerumque exprimuntur.

Saxũ Fissile. Schifferstein.

Saxum Fissile autem ab aliis crustosum quoque vocatur, quia in crustas findi potest, vulgò: *Schifferstein*, & ad strata, recta, nec non mensas & tabulas deletiles seu palimsestos conficiendos aptum natum est, diversi est coloris, nunc durum, nunc molle, prout nimirum à peculiari principiorum miscelà conflatur.

Pe-

Peculiaris Saxi fissilis Species extat apud Glaronenses, quæ Ardesia, vel Ardosia vocatur, de quà *VVagn. in Helv. Cur. pag.* 304. Sequentia habet. Ardesia, seu Ardosia; Ardoësa *Scaligero Exercit.* 129. Lapis Fissilis; Saxum Fissile seu Crustosum; Marmor Mensarium nigrum *Cordo*; Gallis: *ardoise*. Germ. *Schvvartz Schifferstein*. Ejus minera elegantissima, celeberrima, ac maxima, quippe cùm integer mons ex eà constet, apud Glaronenses in valle Serpfanà, semileucà à pago *Matt* dicto extat, ex eà mensas pulcherrimas, & nitidissimas, tabulas deletiles, aliaque fabricant, quæ polita cum Marmore certant Obsidiano; proinde in Germaniam, Hollandiam, Angliam, Sveciam, atque Daniam ea exportantur.

Ardesia, Marmor Mensariũ nigrum. Schvvartzer Schifferstein. *Locus Et usus.*

Antequam verò Lapidum Figuratorum Pictorum genera proponentur, pauca quædam dubia de eorum generatione & causis præmittam; etenim valde difficile est, in materiâ tam arduâ, sensibusque nostris raro obvia quidquam certi statuere, siquidem hujusmodi lapides utplurimùm è lapidicinis profundissimis eruuntur, & ad viginti, triginta vel etiam ultra pedum altitudinem intra terram & rupes sepulti jacent.

CAPUT PRIMUM.

De Differentiis Lapidum Figuratorum Pictorum, picturarumque in iis apparentium causis.

IN saxi fissilis superficie planâ figuræ Lapidum Figuratorum Pictorum triplici modo observari solent, vel enim sunt simplices tantùm colores aliquod folium, herbam, fructum, aut insecta repræsentantes, & inhærentes solùm extimæ lapidis fissilis superficiei, ipsumque lapidem nullo modo penetrantes, vel præter dictos colores adhuc adsunt reliquiæ corporum, quæ exprimuntur supra lapidis planum leviter elevatæ, vel denique colores figuram exhibentes ipsam lapidis substantiam penetrant, & per eam diffunduntur. Omnes hujusmodi lapides Picti in vulgari nostro idiomate: *gemahlte Schifferstein* appellari poterunt.

Triplici modo Figuræ pictæ in lapidibus observantur. Gemahlte Schifferstein.

Figuræ lapidum pictæ primo & secundo modo expressæ semper aliquod corpus naturale exhibent, id est, vel plantam, vel animalculum aliquod, vel eorum partes; figuræ verò, quæ per substantiam lapidis diffunduntur, certam alicujus corporis naturalis imaginem non repræsentant, sed iis sunt tantùm analogæ, plerumque autem similes existunt ericæ, vel musco, urbibus, aut turribus, quas confusè præseferunt, quemadmodum sunt lapides fissiles Hetruriæ, & ii in *Tab.* 9. depicti. Tab. 9.

Lapidum superficietenus tantùm pictorum figuræ & colores facilè abraduntur, vel vi ignis delentur, & si materia colorum abrasa carbonibus ignitis imponatur, odorem sulphureum & bituminosum exhalat; est observatio à *Clarissimo Ferr. Imper.* jam dudum facta. E contratio colores lapidem penetrantes nec abradi possunt, nec nisi vehementissimo igne obliterari.

Figuræ corporum naturalium facilè delentur.

Reliquiæ corporum, quæ in plano lapidis picti quandoque apparent, sunt, vel spinæ, vel squamæ piscium, quæ levi studio à substantiâ lapidis separari queunt, & partes sunt corruptioni minùs obnoxiæ, suæque tin-

Adducuntur plures ob-

Servationes circa lapides pictos.

cturæ planum lapidis participant, prout videre est in *Tab. 6. n. 2.* ubi lapis superior seu incumbens participat figuram lapidis inferioris, cui spinæ piscis adhuc inhærent.

Observavit insuper *Præclarus D. Scheuz. in elegant. suâ epist. ad D. Mich. Frid. Lochn:* Primò. Lapides pictos, quorum figuræ internam quoque substantiam occupant, & Dendritas vocat, nil nisi ramificationes sine foliis, floribus, aut fructibus ramusculis ericæ valde consimiles, vel imagines turrium, domuum, vel etiam urbium licet imperfectas exhibere, ita expressas, ac si miniatum opus pictorum forent. Secundò: omnes istas ramificationes in lapide ita esse dispositas, ut nulla alteram intersecet. Contrarium autem in lapidibus superficietenus pictis non rarò observatur, ut nimirum folium intersecet alterum, vel incumbat alteri. *Vid. Tab. 8. fig. 2.* Tertiò: sæpissimè quoque comparere hinc inde circa ramificationes prædictas vestigia ramulorum quasi obsoletorum, prout in arboribus annosis sæpiùs evenit, ut surculi extimi emarcescant, & à reliquo trunco separentur. Quartò: radices seu principium istarum ramificationum initium suum sumere in commissuris lapidum, ubi sunt magis crassi, & se tangunt. Quintò: in qualibet lapidum fissurâ novam, & à reliquis diversam ramificationum dispositionem conspici. Sextò: omnes istas ramificationes in aliquibus lapidibus magis, in aliquibus verò minùs substantiam lapideam penetrare. Septimò: in quibusdam lapidibus figuras clariùs exprimi statim in ipsâ superficie, in aliis autem intra ipsam lapidis substantiam. Quibus demum addere licet, frequenter circa radices seu principium prædictarum ramificationum efflorescere tincturam flavam vel etiam cineream per longum radicum seu principii ramificationum tractum diffusam. *Tab. 7. fig. 3.*

Tab. 8.

Tab. 7.

Causa lapidum pictorum corpora naturalia exhibentium.

Ex his patet, causam imaginum in superficie Lapidum Figuratorum apparentium, & aliquod corpus naturale repræsentantium probabiliter adscribi posse substantiæ sulphureæ post putrefacta corpora intra lutum lapidescens superstiti, quæ dispositione suâ in lapide delineationem corporis, à quo derivat, exprimit, & conservat, non secùs ac Petroselinum, lana, ac fila serica diversi coloris ovis Paschalibus colligata & elixata, eis effigiem suam communicant, sulphure subtiliore mediante elixatione evaporante, & cortici ovi inhærente, hoc ipsum comprobant ipsæ reliquiæ corporum, quæ tanquam partes corruptioni minùs obnoxiæ sæpius in lapidibus post corruptionem substantiæ mollioris deprehenduntur, & saxum impositum figuræ suæ participant. *vid: Tab. 6. fig. 2.*

Tab. 6.

Causa figurarum corporibus naturalibus tantum analogarum.

Causam verò ramificationum arbores, turres, & domus repræsentantium, ipsamque substantiam Lapidum Figuratorum Pictorum penetrantium esse materiam sulphuream & subtiliorem ipsius luti lapidescentis, quæ tanquam materia ad petrificationem minùs apta in principio condensationis luti è poris expressa hinc inde confluebat, & urgebatur, donec à sale lapidifico & forsitan ipsis vaporibus ambientibus quoque figeretur, & unà cum luto in massam lapideam concrescunt, nec non hujusmodi ramificationes efformaret, majores aut minores, diversi etiam coloris secundum quantitatem nimirum, & qualitatem materiæ sulphureæ, & ipsam dispositionem luti petrificandi, parte ejus tenuiore vel statim in principio

per

per poros luti efflorescente, vel in fine ultra reliquas ramificationes protensà, & per substantiam luti dispersà, à quà illa tinctura hinc inde dispersa, nullamque figuram perfectam exhibens, quæ in principio & fine ramificationum interdum observari solet, dependere videtur. *vid. Tab.7. fig.3. & Tab.9. fig.2.* Tab. 7. Tab. 9.

Hoc modo quoque facillimè explicantur omnia phænomena Dendritis communia & superius adducta. Primò quidem: quod miniatum opus efformare videantur, materiæ per lapidem diffusæ tenuitas est. Secundò: ramusculorum miscelam impedit ipsa substantia luti densior reddita, & ad petrificationem disposita, quæ materiæ sulphureæ exhalanti nullam aliam viam admittit, quàm brevissimam, id est, rectam, & quò magis alii ramificationi sese appropinquat, eo majori in luto duritiei ob compressionem particularum ab ipsà exhalatione inductam occurrit. Tertiò: vestigia ramorum quasi obsoletorum sunt eadem tinctura ab efflorescente sulphure tenuiore inducta, de quà superius dictum est. Quartò: ramificationes ex parte lapidum crassiore principium suum sumunt ob majorem materiæ sulphureæ copiam. Quintò: diversa denique ramificationum directio dependet ab ipsà sulphuris & luti petrificandi dispositione, sicuti & earum clarior aut obscurior expressio. *Explicantur omnia phænomena lapidum pictorum hucusque adducta.*

CAPUT SECUNDUM.

An Figuræ Lapidum Figuratorum Pictorum corpora naturalia præseferentium ab ipsis corporibus naturalibus intra terram putrescentibus producantur, vel tantùm ab eorum Seminio illuc delato.

EXpositis causis, quæ imagines corporum naturalium in superficie Lapidum Figuratorum Pictorum, eorumque ramificationes producere possunt, alia difficultas enodandà occurrit, quæ hucusque plurimorum Philosophorum ingenia defatigavit, quomodo nimirum animalia & vegetabilia ad tam profundum terræ sinum penetrent, ut ibi luto petrificando effigiem suam communicent, an à vi quàdam plasticà proprii seminii in subterraneis de novo generentur, vel an à cataclysmo universali, aut aliâ terræ inundatione arenularumque coacervatione in tam profundo terræ sinu fuerint sepulta? Quælibet opinio suos habet sectatores, nec non rationes & difficultates, quibus innititur, & propter quas potiùs unam quàm alteram eligit sententiam. In re tam difficili & dubiâ fundamenta & objectiones utriusque opinionis unà cum propriis experimentis hucusque in hàc materiâ observatis adducam, ut veritatis amator in materiâ tam arduâ eò certiùs judicium suum dirigere possit.

Clarissimus Luidius in doctissimâ suâ Epist. de fossil. marin. & foss. mineral. origine ad Præclarum Virum D. Joan. Rajum probare conatur, quòd pleraque animalia & folia mineralia vi plasticâ seminis in terrâ producantur. Suspica- Luidii *opinio, quod pleraque*

animalia & folia mineralia è proprio semine in terrà generentur.

picatur enim semina piscium, insectorum, & vegetabilium mediante pluviâ & vaporibus è mari, terrâ & fluminibus elevari, & hinc inde diffundi, donec poros & fissuras terræ cum aquâ & vaporibus penetrent & ad requisitam altitudinem pervadant, ubi à calore subterraneo fœcundata pro matricis congruentiâ modò in integrum animal, vel plantam, modò in partem solam repullulant. Quamobrem aliquando videmus, è terrâ effodi pisces integros, aliquando solùm lineamenta, aliquando verò tantùm dentes & alia ossicula, aut aliquam plantam imperfectam, ita ut nesciatur, ad quam stirpium classem referri debeat.

Rationes & fundamenta huius opinionis adducuntur.

Hanc suam opinionem confirmat rationibus sequentibus. Primò: quòd rarissimè aliorum extraneorum imagines è terrâ eruantur, præterquam eorum, quorum semina libero aëri, aut aquæ faciliter exponuntur, plantarum nimirum, insectorum, & aquatilium, quamobrem in saxo fissili nullæ imagines animalium viviparorum, aut avium inveniuntur. Secundò: ex altâ foliorum mineralium sepulturâ, quæ rarò citra triginta pedum altitudinem effodiuntur; nam aqua diluvii hæc folia tam profundè condere non potuisset, cùm eorum naturâ sit in summitate aquæ natare. Tertiò: folia hæc mineralia (prout observavit *D. Ricchardson*:) longè minora sunt iis, quæ repræsentant, & in debito seu naturali loco accreverunt, quod defectum accretionis sub terrâ indicat. Quartò: non magis mirabile est, naturam in visceribus terræ folia conficere quàm culices interdum apud Prussos in Succino fossili, & araneos apud Anglos in Scisto carbonariâ exhiberi. Quibus rationibus sequentem observationem addimus, à quo opinioni Luidianæ non leve pondus accedet: musca integra *Tab.7. fig.5.* exhibita, pisces. *Tab.6. & 7.* spinis integris & suis squamis debito ordine positis, dein folia *Tab.8.* quoque integra, æqualiter expansa naturali modo laciniata & venulis suis ad extremitatem usque porrectis exornata manifestè comprobant, prædicta corpora sub terrâ è semine vi plasticâ producta fuisse, etenim impossibile videtur, muscam, quæ est corporis tam teneri, pisces structuræ non minùs flexibilis, & dein folia arborum tenella ad tantam terræ profunditatem præcipitari potuisse, & sub gravissimâ arenarum mole sepeliri, quin saltem aliquam labem contraxissent, & subtilissima structuræ organisatio vel disrupta, vel saltem immutata fuisset. Plura experimenta & rationes ad confirmandam hanc sententiam, opinionemque diluvianam in dubium revocandam proponam in Parte tertia hujus Tractatus, ubi de fossilibus marinis in genere tractabo. Ex objectionibus fundamenta opinionis diluvianæ elucescent.

Tab.7. Tab.6. Tab.8.

Objectiones Diluvianorum proponuntur.

Primò obiicitur, quòd datum seminium piscium, insectorum, & plantarum poros terræ ad tantam altitudinem penetrare non possit. Secundò, & casu, quo penetraret, quòd materiam aptam non inveniret, in quâ fœcundari posset. Tertiò: Si fœcundetur v. g. semen plantæ, cur non simul radix accrescat, & in superficie lapidum depicta exhibeatur. Quartò: impossibile esse, quod folium alicujus arboris aut fruticis tantùm à vi plasticâ seminis perfectè formetur, nisi priùs etiam radix & truncus producantur.

Solutiones earum.

Ad primam objectionem respondetur: semina animalium, piscium & vegetabilium lapides ipsos penetrare, & in iis fœcundari, prout habemus exempla canum, bufonum, serpentum, qui intra rupes & saxa vivi reperti

ti sunt, adeòque multò faciliùs terram permeabunt, cujus pori patentiores sunt. *Vid. Horstium observ. anat. 2. pag. 10. Caspar. Schot. lib. 10. Physicæ curiosæ cap. 19. §. 5. pag. 977.*

Ad Secundam Respondetur: si intra substantiam lapidum siccam, & omni calore destitutam matrix congrua ad fœcundanda semina animalium inveniatur, nullus inficias ibit, eam quoque posse dari in locis subterraneis calore & humiditate imbutis.

Ad Tertiam: sæpius in matrice dari liquorem & dispositionem, quæ apta nata est in unam partem seminis converti alterà neglectà propter majorem vel minorem proportionem; dein etiamsi radix in subterraneis produceretur & accresceret, vix putarem, quod dum putrefieret, imaginem suam lapidi communicaret ob substantiam nimis lignosam & cruditatem sulphuris saxum non tingentis.

Eodem modo respondetur ad Quartam: nam cùm semen arboris vel fruticis jam contineat in se omnes ejus partes ad minima contractas, non mirum videbitur, etiamsi ob eandem rationem una potius novæ hujus plantulæ pars fœcundetur, & expandatur, quàm altera; quod etiam non rarò in ipso fœtu tam mulierum quàm brutorum observatur, dum in illo modò deficiat pes, modò brachium integrum cum manu, modò brachium solum cum medià manu, digitis axillis adhærentibus, vel etiam econtrariò ipsa membra præter naturam multiplicentur.

Utrum adumbratio imaginū à solo spiritu seminis insito produci possit.

Huic quæstioni succedit eventilanda alia. An nimirum ad imprimendam lapidibus imaginem alicujus corporis requiratur, ut hoc priùs è semine in subterraneis producatur, cujus dein putrefacti imago eo modo, quo superiùs dictum est, saxo fissili communicetur, & imprimatur, vel an ex ipso semine fœcundato hæc corporum adumbratio immediatè gigni possit. Hanc ultimam opinionem tenet *Clarissimus Luid. in suâ epist. cit. object. 8. contra opinionem diluvianam loquendo de Lapidibus Islebianis*: jam isthæc ut animalia, aut animalium exuviæ non sunt, ita neque eorum impressiones aut vestigia esse possunt, prominens enim superficies est, & non impressa. Sed pace tanti viri mihi videtur prominens Lapidum Islebianorum superficies piscium spinas, & squamas præseferens veras piscium exuvias esse post putrefactionem mollioris substantiæ tanquam texturæ magis compactæ superstites, & saxo inhærentes, ita ut facili modo spinæ & squamæ à subjecto lapide separari queant. *Vid. Tab. 6. fig. 2.* ubi figura piscis superior, & prominens è veris piscis exuviis spinis scilicet & ossibus constat, à quibus figura piscis inferiori lapidi sine ullis exuviis impressa est. Præterea omnes coloratæ foliorum adumbrationes lapidi impressæ, manifestè indicant, folia, quorum imagines in lapidibus apparent, primò in subterraneis à semine generari, & dein præcedente liquorum fermentatione, quæ ad petrificandum lutum requiritur, consumi, sulphure subtiliore lapidi inhærente, foliorùmque imaginem imprimente. Ad hæc accedit difficulter concipi, quomodo spiritus seminis insitus suam designationem per materiam tam subtilem ac fluidam exactè & regulariter determinare ac figere, lutoq; petrificando imprimere possit, imò impossibile videtur, ut duo, vel tria folia sibi invicè imposita & diversæ speciei dicto modo simul & semel generentur & non ob materiæ fluiditatem confundantur.

Tab. 6.

TA-

TABULA GENERICA.

Lapidum Figuratorum Secundæ Classis.

Lapides Figurati Picti repræsentantes	Animalia, eorumq; partes.	Animalia Volatilia integra. eorum partes.
		Animalia aquatilia integra. eorum partes.
	Vegetabilia, eorumq; partes.	Vegetabilia integra. eorum partes.
	Diversas alias imagines.	Rebus naturalibus similes.
		Incertas, ad quid referri debeant.

CAPUT TERTIUM.

Lapides Figurati Picti animalia, eorumque partes repræsentantes.

GENUS I.

Lapides Figurati Picti animalia volatilia integra repræsentantes.

SPecies:

Tab. 7. Lapis Figuratus Pictus muscam repræsentans. *Tab. 7. fig. 5.*

Locus. Hic lapis unà cum picturà muscæ magitudine iconi similis est, & in lapidicinà Œningensi inventus.

G Re-

Lapides figurati picti colore superficiario animalia 6.
uel eorum partes repræsentantes.







7.

4



5

Dendrites tertius.



Lapides figurati picti colore lapidem penetrante
Dendritæ à similitudine Arboris dicti. 9





GENUS II.

Lapides Figurati Picti partes animalium volatilium repræsentantes.

SPecies:

Lapis Figuratus Pictus alam muscæ repræsentans. *Tab. 7. fig. 5.* Tab. 7.

Idem est cum priore.

GENUS III.

Lapides Figurati Picti animalia aquatilia integra repræsentantes.

SPecies:

Lapis Figuratus Pictus sceleton piscis pinnà unicà in fine dorsi, & duabus pinnis sub ventre donati repræsentans. *Tab. 6. fig. 1.* Tab. 6.

Lapis Figuratus Pictus sceleton piscis tribus pinnis in dorso, & unicà sub ventre donati repræsentans. *Tab. 6. fig. 2.*

Ambo cum figuris conveniunt, & in prædictà lapidicinà reperti sunt.

GENUS IV.

Lapides Figurati Picti partes animalium aquatilium repræsentantes.

SPecies:

Lapis Figuratus Pictus medium piscem squamis suis indutum, & in fine dorsi, sicut etiam sub ventre pinnà donatum repræsentans. *Tab. 6. fig. 3.*

Lapis Figuratus Pictus piscem sine capite squamis indutum, & pinnà longà sub branchiis donatum repræsentans. *Tab. 7. fig. 4.* Tab. 6.

Cum figuris magnitudine suà conveniunt, & in eodem loco inventi sunt. Tab. 7.

CAPUT QUARTUM.

Lapides Figurati Picti vegetabilia, eorumque partes repræsentantes.

LApides Figurati Picti Vegetabilia, vel eorum partes exhibentes communiter Dendritæ dicuntur. Germanis: *Baum-oder Kreutterstein.* *Dendrites quid.* Baüst. Kreutterstein.

GENUS I.

Dendrites Vegetabilia integra repræsentans.

SPecies:

Dendrites major triangularis per integram circumferentiam frutices repræsentans. *Tab. 9. fig. 1.* *Dendritæ vegetabilia integra repræsentantes.*

Dendrites major roseus in extremitate ramificationum tincturà subluteà ornatus. *Tab. 9. fig. 2.*

Hic Lapis vocatur roseus, quia plures ejus ramificationes in extremita- Tab. 9.

te

te suà rosis similes sunt. Hic cum priore magnitudine suà figuras ter superat, ubinam autem inventi fuerint, me latet: prior transmissus est Tiguro Badenam à Clarissimo D. Joan. de Muralto cum sequente, qui magnitudine suà figuram adæquat.

Tab. 7. Dendrites sylvulam repræsentans in principio ramificationum tincturà nigricante ornatus. *Tab. 7. fig. 3.*

GENUS II.

Dendrites partes Vegetabilium repræsentans.

Dendrita folia diversarum arborũ repræsentantes. Tab. 8.

SPecies:

Dendrites folium Pyri repræsentans. *Tab. 8. fig. 1.*

Dendrites folium Tiliæ cum gramine repræsentans. *Tab. 8. fig. 2.*

Dendrites folium Populi albæ repræsentans. *Tab. 8. fig. 3.*

Dendrites folium Populi albæ magis elongatum repræsentans. *Tab. 8. fig. 4.*

Omnes isti quatuor lapides cum figuris conveniunt, & in prædictà lapidicinà reperti sunt.

CAPUT QUINTUM.

Lapides Figurati Picti diversas alias imagines repræsentantes.

PEr hujusmodi lapides intelliguntur ii, qui picturà suà repræsentant imagines, quæ nec animalibus, nec Vegetabilibus, aut eorum partibus similes sunt.

GENUS I.

Lapides Figurati Picti imagines rebus naturalibus similes repræsentantes.

PEr hos lapides denotantur ii, quorum imagines rebus, quas in rerum naturà sæpiùs productas observamus, similes sunt, hujus generis unicam tantùm habeo speciem, sed quæ præ raritate, & formæ artificio omni admiratione digna videbitur, hæc est:

Variolites Lucernensis. Kidsblatteren-Bockendurchschlechtẽstein. *Eius descriptio.* Appendix.

Variolites Lucernensis niger variolis, seu pustulis variolis simillimis partim albescentibus, partim verò puniceis, & quasi jam ad siccitatem tendentibus undique insignitus. *In appendice ad Class. 2. Kindtsblatteren-Bocken-Durchschlechtenstein.*

Rarissimus hic lapis formà figuræ similis est, sicut & magnitudine, durus ut marmor, & obscuræ nigredinis per totam substantiam diffusæ, cui commixtæ sunt copiosæ micæ splendentes minimæ, & colore suo aureo marcasitam seu aurum felium referentes. Cæterùm lævissimus est, & valde politus. Per omnem ejus superficiem dispersæ sunt imagines pustularum in variolis & morbillis apparentium tam artificiosè expressæ, ut quis juraret, veras earundem effigies esse à peritissimo aliquo pictore elaboratas, qua-

Lapides figurati picti colore Superficiario vegetabilia repræsentantes.





Appendix ad 2dam Classem.

Draconites Lucernensis Spurius.



Draconites Lucernensis verus.



Variolites Lucernensis Niger.



Grammitæ Helvetici micantes.









quarum una pars variolas maturantes, altera verò ad ſiccitatem jam tendentes, & in medio ſui ſubſidentes exhibet: primæ minores ſunt ſecundis, & colore ſuo albeſcente pus in variolis deliteſcere ſolitum ad vivum referunt; minimæ caput aciculæ ſuà magnitudine non adæquant, & gradatim ita augentur, ut majores lenti nequaquam cedant, quas inter præcipuè puſtulæ ad ſiccitatem tendentes numerantur, mediam lapidis partem occupantes, reliquà minoribus & magis albeſcentibus relictà; quorum nonnullæ fuſci ſunt coloris variolarum in modum jamjam exſiccare incipientium. Omnes figuræ ſunt ſubrotundæ, & modò ſeorſim, modò plures ſimul unitæ apparent, ita tamen, ut facilè inter ſe diſtingui & numerari poſſint: in earum centro macula obſcurior adumbrata eſt, prout in puſtulis naturalibus ad maturitatem perductis, vel jam ſubſidentibus paſſim deprehenditur. Puſtulæ in ſuperficie exhibitæ lapidem non ſolùm inæquali altitudine penetrant, ſed tota ejus interna ſubſtantia quoque iis referta eſt, coloris tamen obſcurioris, & propter admixtas micas ſplendentes à naturali variolarum effigie non parùm deflectunt. Materia, è quà conſtant, videtur defæcatiſſimus Selenites marcaſitaceis micis imbutus, qui in primà coagulatione lapidis ut materia ſubtilior & ad concretionem minùs apta confluebat, donec ſimul figeretur, ſulphure ſubtiliſſimo ad ſuperficiem uſque penetrante, ubi primò per ſuperficiem lapidis diffuſum tandem cum illo obriguit, deſcriptaſque maculas efformavit.

Cauſa puſtularum.

In variolite apparẽtium.

Hunc lapidem amuleti loco appenſum & geſtatum variolarum expulſionem promovere plures credunt.

Vires.

Inventus eſt in torrente Emmà, è cujus arenà magna quantitas auri elicitur, & à Lucernà mediâ leucâ diſtat, quamobrem Variolitem Lucernenſem vocavi.

Locus.

GENUS II.

Lapides Figurati Picti repræſentantes imagines incertas, ad quid referri debeant.

SI lapides picti tales repræſentent imagines, quæ cum nullo corpore naturali figurà ſuà conveniunt, incertæ vocantur, ad quid referri debeant, hujus generis lapidum ſequentes ſunt Species:

Quid ſint lapides picti imaginum incertarum.

Draconites, ſeu Draconius Lapis Lucernenſis ſpurius. *Ein falſcher drackenſtein in append. ad ſecundam Claſs.*

Draconites ſpurius Ein falſcher Drackenſtein. Appendix.

Hunc lapidem ita voco, quia mihi pro vero Draconite donatus eſt; & cum Draconite vero Lucernenſi *Cyſati* magnam affinitatem habet, ut ex utriuſque deſcriptione patebit. Draconites ſpurius magnitudine & figurà ad ovum anſerinum proximè accedit, graviſſimus eſt, & durus ut marmor, lævis, atque politus, nigroque colore tinctus, maculis luteis ſeu flaveſcentibus hinc inde per exiguas ſtrias unitis interſperſis. Inventus eſt in eodem torrente Emmà.

Locus.

Draconites Lucernenſis verus *Cyſati in ſuà præclarà deſcriptione Lacus Lucernenſis. pag. 76. Ein VVahrer Drackenſtein. In Appendice ad Claſs.*

Draconites Lucernenſis verus. Ein VVahrer

De hoc lapide, quem ſæpius propriis oculis vidi, mentionem faciunt plures Authores celeberrimi. Primus eum deſcripſit *Cyſatus loc. cit.* & ex eo *Clariſſimus P. Kirch. Mundi ſubterranei tom. 2. lib. 8. ſect. 4. capit. 3.*

Drackenstein. Append. *Eius descriptio.*

VVagn. quoq; illius mentionem facit *in suâ hist. natural. Helv. curios. pag.* 326. Figura lapidis rotunda est, magnitudo pilæ ordinariæ, quà pueri ludere solent, similis: pondus unciarum medicatum novem. Durus est, lævis, & politus, coloribus atro, rubicundo & albo mirè inter se commixtis ac distinctis ornatus. Mediam lapidis regionem circumdat fascia digitum transversum lata, albicans, & striis fuscis ad modum falcis seu Lunæ crescentis formatis, sibique ita cohærentibus, ut cornu cervinum repræsentent per totum sui tractum insignita. Inventus est ab avo Rudolphi Stemphli rustico Rotenburgensi Ditionis Lucernensis, qui in prato fœnum metens viderat horrendum Draconem à monte Regio supra lacum Lucernensem ad Pileatum volantem, & aliquid in terram decidere permittentem, cui tamen illicò lustrando ob tam inopinatum hujus terribilis bestiæ aspectum attonitus factus impar erat, sed ad se reversus invenit prædictum lapidem sanguini pallido gelatinæ instar congelato immersum, qui adhuc hodie pro singulari & inæstimabilis pretii cimelio Lucernæ à nobilissimâ familiâ *Cloos de Mauise* asservatur, ac magno cum fructu tam nobilium quàm pauperum frequenter ægrotantibus applicatur, inprimis autem in febribus malignis & pestilentialibus, quarum virus membro alligatus ad extremitatem trahit, dein in fluxibus sanguinolentis, quos fœlicissimè sistit, partibusque inferioribus admotus partum promovet, superioribus autem applicatus abortum prœcavet, quæ virtutes omnes jam plurimis experimentis comprobatæ sunt, & actis apud *Cysatum* extantibus confirmatæ. Effigiem lapidis *Appendix ad Class. 2. sistit.*

Quomodo fuerit inventus.

Et à quibus nunc asservetur Præstãtes eius vires in quamplurimis morbis curandis.

Appendix. Glantzete Linienstein. Appendix.

Grammites Helveticus micans lineolis nigris rectis brevioribus, & seorsim hinc inde per lapidem dispersis. *Appen. ad 3. Class. fig. 1.*

Grammites Helveticus micans lineolis nigris rectis longioribus ad se parallelis, & hinc inde coacervatim sitis. *Append. ad 2. Class. fig. 2.*

Grammites Helveticus micans lineolis nigris rectis longioribus coacervatim sitis, & in medio obliquè sese intersecantibus. *Appen. ad 2. Class. fig. 3.* germanicè appellari poterunt: *Glantzete Linienstein.*

Cur Grãmita vocẽtur.

Hos lapides Grammitas voco, quia insigniuntur plurimis lineolis, quæ variæ magnitudinis sunt, & per superficiem lapidum modò separatæ disperguntur, modò hinc inde plures simul colliguntur, & aliquando etiam in medio sese intersecant, appellanturque micantes, quia tota substantia eorum micis splendore suo auro vel argento simillimis imbuta est, & quidem tam copiosè, ut in aliquo rivulo jacentes & per limpidissimam aquam apparentes ita splendeant, ac si frusta integra è puro auro vel argento fusa essent, inprimis, si fulgor solis accedat, & splendorem micarum exaltet. Hæ micæ à Germanis aurum vel argentum felium id est *Katzensilber oder glimmer* dicuntur, quia noctu instar oculorum felium lucere volunt. Observantur quoque in arenulis, lapidibus fissilibus, marmoribus, & diversis aliis saxis. Nullius usus sunt, neque fixæ substantiæ, cùm igne facilè consumantur ad modum marcasitæ, cum quà conveniunt. Lineolas per lapidum substantiam dispersas quod attinet, earum origo valde obscura est, nisi fortè causa illarum productiva coniicienda sit in sulphur crassum & crudum magnà salium quantitate impregnatum, qui, cùm in suà crystallisatione ob crassitiem sulphuris versus latera sese expandere non poterant, in columellas

Aurũ vel argentum felium. Katzensilber oder Glimmer.

Causa lineolarum.

las rectas tenuissimas coacti sunt, & cum sulphure in lapideam substantiam concreti.

Grammitæ ex parte meridionali montis S. Gothardi in ipsà viâ, quà Mediolanum itur, per longum terræ tractum in magnà copiâ occurrunt, ubi ingentia saxa hujusmodi lineolis referta deprehenduntur. *Locus.*

Cùm sæpius jam mentionem fecerim de sabulo aureo, ejus descriptionem *à V Wagnero lib. cit. pag.* 346. adductam pro coronide huic libro addam. Aurum, seu Aureum Sabulum, Chrysammos Gr. Pala Lat. seu Auri ramenta. *Goldkoerner, oder gedigene Stuflein und Zaehnlein Gold:* Ejus feraces sunt Rhenus, Emma major, & Emma minor, Urtena, Ursa, Arola, fluviolus ad arcem Birsellum, & Adda seu Addua apud Rhætos. Aurificum studio in arenis inquiritur, lavatur, purgatur, ac conflatur. Flumina autem hæc non tantùm φύγματα seu ramenta Auri perenni suo cursu, sed sæpè etiam massulas pisi magnitudine, præsertim in inundationibus, magnorumque imbrium delapsu rapiunt. In quibus autem montibus nativæ Auri venæ delitescant, hactenus incompertum. In Thesauris Urbis Salodurensis lamellæ auri, ex Arolæ, & Emmæ aureo sabulo conflatæ asservantur, *teste Francisco Hafnero Archigrammateo Salodurensi, Annal. Salodur. P. 2. p. m.* 320. qui & hanc observationem notatu dignam annectit. Aurum, quod ex Arolà & Emmà lavatur, optimum est, & 22. ceratia puri continet: quòd si per Antimonium tertiò fundatur, & post modum per plumbum in capellà purificetur, præstantissimum est aurum, ita ut Aurum Hungaricum seu Arabicum quo ad colorem vel tenacitatem ab hoc parùm differat. De Rheni verò aureo sabulo *D. D. Helisæus Roeslin* ita disserit: Rhenus dives est auro, cùm copiosè aurei sabuli sit ferax, quod multis in locis ejicit: suà naturà aurum est præstantissimum pro ducatis conficiendis; quòd si verò additamentum aliquod addatur, è tali auro omnes Rheni, Electorum, Principum ac Civitatum Imperialium aurei nummi cuduntur, qui nomen Auri Rhenani obtinent, massaque illorum 18. ceratia auri puri continet. In fissuris rupium Thermarum Fabariensium aurum quoque invenitur, quod præter *Stumphium Chorogr. Helvet. lib.* 10. *cap.* 23. etiam *Fabricius Hildanus* testatur, ubi inter alia: Arenam, inquit, quæ in lotione luti remansit, cùm Ensisheimii in Alsatiâ probandam dedissem, aurum in ipsà repertum fuit, sed pauxillum. Propter gravitatem enim suam aurum per fissuram (rupis) semper deorsum tendit. Apud Subsylvanos in Monte Viridi, *dem Gruenberg, der Neunalper* aliàs dicto, in valle Melæ, vulgò: *Melchthal*; nec non ad Angelorum Montem, & *dem Kerzen-Alperberg*, metalli auriferi indicia extant.

Aurum, seu Aureũ sabulum.

Goldsand

Flumina eius feracia.

massulas quandoq; deportant.

Saloduri huiusmodi aurum asservatur.

Aurum Rhenanũ.

Fabariense.

LIBER TERTIUS.

IN QUO DESCRIBITUR CLASSIS TERTIA COMPLECTENS LAPIDES FIGURATOS PETRIFICATOS.

Quid sint lapides figurati petrificati. Et incrustati.

PEr Lapides Figuratos Petrificatos intelliguntur ii, qui sunt corpora ex naturâ suâ alterius substantiæ in substantiam lapideam mediante petrificatione commutata, vel crustâ lapideâ obducta, & Lapides Figurati Incrustati vocantur.

Exponitur modus petrificationis.

Petrificationis, & Incrustationis modum suprà jam exposui, nimirum: Aquam per saxa decurrentem eorum ramenta imbibere, & secum rapere, quæ, cùm in corpus impingunt, cujus pori ad ramenta lapidea suscipienda proportionati sunt, eos penetrant, & paulatim sese intimè insinuando, integrumque corpus hujusmodi lapideis ramentis imbuendo, illi duritiem, & gravitatem duas præcipuas lapidum qualitates, per quas ab aliis corporibus differunt, inducunt, reliquâ corporis structurâ, & formâ illæsâ, ac immutatâ.

Et incrustationis.

Incrustationem verò fieri, cùm ramenta lapidea, quæ aqua secum vehit, ob inæqualitatem porosq; corporum penetrare nequeunt, sed mediante liquore viscido, & tenaci superficiei externæ tantùm adhærent, illamque sensim sine sensu crustâ lapideâ totaliter obducunt, substantiâ corporis sub hâc crustâ latentis nullomodo immutatâ.

Plura corpora lapidea solùm ob similitudinem cum aliis corporibus naturalibus ad hãc Classem reducũtur.

Hic bene animadvertendum est, me plura corpora lapidea ad Lapides Figuratos Petrificatos reducere, de quibus ipsemet dubito, utrùm ad hanc classem reducenda sint, fit autem potissimum, vel propter communem Authorum opinionem, vel ipsam figuram, & similitudinem lapidum, quam cum aliis corporibus naturalibus obtinent, & propter quam petrificata dici merentur, licet fortè, & probabiliter non minùs ac reliqui lapides figurati statim in primordiis suæ generationis è materiâ lapidescente producta fuerint, ita ut nullam aliam substantiam habuerint à substantiâ lapideâ diversam, sed in descriptione cujuslibet generis tenuem meam opinionem circa hoc dubium fusiùs aperiam.

TA-

TABULA GENERICA.

Lapidum Figuratorum, Tertiæ Classis.

Lapides Figurati Petrificati Repræsentantes.
- Animalia integra.
  - eorum partes.
- Vegetabilia integra.
  - eorum partes.
- Figuras
  - Regulares.
  - Irregulares.

CAPUT PRIMUM.

Lapides Figurati Petrificati Animalia integra, vel eorum partes repræsentantes.

JAm omnis generis corpora è triplici rerum naturalium regno fuisse petrificata, nullus inficias ibit; homines in lapides conversos esse ipsa testatur *Sacra Pagina* docens: Uxorem Lothi Sodomis egredientem in statuam salis commutatam fuisse, de hàc præcipuè mirandum est, quòd ad multa sæcula duraverit, cùm & *Burchardus*, qui vixit ab hinc trecentis annis, testetur, statuam hanc suà adhuc ætate inter Engaddi, & Mare mortuum extitisse, quamque suo tempore visam memorat *Adrichomius in Theat. Terr. Sanctæ, & Abulensis imò Targ. Hierosolym.* statuit, duraturam hanc statuam usque ad Extremi Judicii diem, ut sit æternum Justitiæ Divinæ monumentum. Omnium tamen penè fidem excedit, quòd hæc statua, quæ est & Cippus, & cui Cippus ponitur, viventis more quasi menstrua quædam effundat, hoc enim asserit *Tertullianus in Carmine de Sodomà* his verbis:

Exempla hominum petrificatorum. Statua Uxoris Lothi.

Quolibet mense mēstrua effundit. Tertulliani carmina de eà.

Ipsaque imago sibi formam sine corpore servans
Durat adhuc, nunquam pluviis, nec diruta ventis,
Quin etiam si quis mutilaverit advena formam,
Protinus ex sese suggestu vulnera complet.
Dicitur & vivens alio jam corpore sexùs
Munificos solito dispungere sanguine menses.

Unde autem huic salariæ statuæ, cùm sal alioqui aquis facilè diffluat, tanta firmitas, ut pluviam, & tempestates sustinuerit? an sapit naturam salis metallici, cujus meminit *Plinius* 31. 2. in Africà circà Uticam construi acervos salis ad collium speciem, qui, ubi Sole, & Lunà induruère, nullo hu-

E quo sale sit constructa.

humore liquescant, vixque etiam ferro cædantur. Hucusque *Sachsius de hàc stat. fol. 67. in Resp. dissertat.* Idem de aliis hominibus etiam confirmant quamplurimi alii celebres Philosophi, & Historici, imò in aliquibus Europæ museis adhuc viva hujus veritatis testimonia extant. Habetur ex *Aventino lib. 7. Annal. Bavar.* plusquam quinquaginta rusticos mulgentes unà cum vaccis in ingenti terræ motu à magnà materiæ terrestris mole subitò obrutos in substantiam lapideam induruisse: fœtum in utero matris Columbæ Chartrii illæsis visceribus petrefactum, & Agendici Senonum in Gallià Anno 1582. post moram 28. annorum extractum narrat *Thuanus lib. 17. Histor. & Paræus lib. 25. de monst. cap. 2.* aliumque fœtum Mussiponti in abdomine extra uterum matris lapidescentem describit *Deusing, & Laur. Straussius in part. de eo tract. Barth. Histor. 91. Cent. 6. p. m. 358.* refert: caput alicujus bovis Suecici vivi in lapidem commutatum fuisse, ita ut præ pondere inter alios in pascuis semper prono in terram capite incedere cogeretur, & ad lanienam ductus osseo suo cranio ictus securis summo cum impetu inflictæ aliquoties repelleret, donec iteratis sæpiùs ictibus oppressus conciderit, intra apertum osseum cranium, cerebrum quoque induratum erat, relictis tamen sinibus patulis ad liberum spirituum animalium, reliquorumque humorum transitum. Ut taceam de serpente in ventriculo cervi petrificato *Sachsii & Dan. Major.* paguris, aliisque animalibus, conchyliis & plantis in saxeam substantiam concretis, quorum descriptio apud plures Authores inveniuntur, & vix museum occurrit, in quo non plures eorum species asservantur. Hæc pauca petrificationis exempla tanquam rariora, & summà admiratione digna enumerationi nostrarum specierum præmittere volui, ad hunc finem, ut clariùs demonstretur, infinitam Dei Omnipotentiam in omnibus rebus etiam abiectissimis, & quæ quotidie calcantur pedibus, prout sunt lapides, quàm maximè elucere, deinde ut aliorum animos ad contemplanda, & rimanda tam mirabilia naturæ producta eò vehementiùs alliciam, sicque viam sternam, ad plura lapidum petrificatorum genera & species inveniendas. Qui plura desiderat, & magis curiosa, consulat musea *Ferrand. Imperat. Calceol. & VVorm. nec non Ald. de Test. Gesn. de aquat. Kirch. Mund. subter. Ephem. nat. curios. Mart. List. de Conch. & Cochl. Angl. & Luid. in suo Lyhophyl.* nos species nostras adducemus, quarum sit

Fœtus in corpore matris petrefactus.

Caput bovis vivi cum cerebro petrefactum.

GENUS I.

Animalia Integra petrificata.

QUamvis sequentes species probabiliter etiam à primordiis suæ generationis in substantiam lapideam accreverint, vel saltem accrescere potuerint, ideoque ad lapides figuratos propriè dictos potius reducendæ essent, & lapideæ non verò petrificatæ nominandæ, cùm tamen jam ab aliis præstantissimis viris inter petrificata repositæ fuerint, methodum à majoribus susceptam sine urgente maximà necessitate invertere non volui, & propterea etiam istas species cum pluribus aliis subsequentibus petrificatis adnumerandas censui, præsertim cùm adhuc sub Judice lis sit, an omnes lapides figurati ad petrificata referendi sint, & major difficultas sit explicandi-

candi, quomodo lapides figurati corpora viventia figurà suà repræsentantes à vi plasticà alicujus seminis è materià lapidescente intra montes producantur, quàm reliqui corpora vitæ expertia, aliaque figuras adhuc incertas, ad quid referri debeant, præseferentes.

Hujus generis duæ adsunt species, quarum prima est.

Pagurus cinereus lapideus. *Tab.* 10. germanicè: *Ein steinener Meer- oder Taschen Krabbe.* Ein steinener Meer- oder Taschen Krabbe. Tab. 10.

Similis est magnitudine, & figurà iconi in Tabulà expressæ, propterea ulteriore descriptione non indiget. De silice colore subluteo pagurum formà suà exprimente, & in Rarithecio Tigurino asservato mentionem facit *VVagnerus in suà Historià naturali Helvetiæ pag.* 331. *nec non accuratissimus lapidum Scrutator Anselmus Boetius in suo Gemmarum & Lapidum Historia lib.* 2. *c.* 303. Neapoli in *celeb. Fer. Imp. mus.* quoque unus conservatur, & alius in *Mus. Calceol.* à montibus Vicentinis allatus, qui plures cancros petrificatos jam suppeditarunt, & passim Venetiis asservantur, vid. *Joan. Dan. Major Epist. suæ de Canc. & Serp. petref. pag.* 61.

Noster lapis allatus est ex iisdem montibus, & præsefert pagurum descriptum à *Rondeletio lib.* 18. *c.* 25.

Secunda species est:

Aranea marina lapidea. *Tab.* 10. *Eine Steinene Meer-Spinn.* *Aranea Marina lapidea.* Eine Steinene Meer-Spinn.

Colore cum priore convenit, formà verò & magnitudine cum figurà in tabulà expressà: hunc Lapidem ipsemet inveni in monte Legerio vulgò: *Legerberg* comitatus Badensis. Similitudinem habet cum corpore Araneæ marinæ descriptæ à *Rondeletio lib.* 18. *c.* 26.

GENUS II.

Lapides Figurati Petrificati partes animalium repræsentantes.

IN hoc genere plures adducentur lapidum figuratorum species, de quibus meritò dubitandum est, an sint corpora ex naturà suà alterius substantiæ in substantiam lapideam commutata; cùm autem figurà suà partes animalium tam affabrè repræsentent, judicavi, eas ad aliud genus commodiùs non reduci posse. *Plures lapides ob solam figurã ad hoc genus reducuntur.*

Species sunt:

Caput Serpentis petrificatum. *Tab.* 10. *Ein steinener schlangen-Kopf.* *Caput Serpentis petrificatum* Ein Steinener schlangen-kopf

Hic lapis cinerei est coloris & melius, ac ipsa figura illum exprimit, non potest describi, magnitudine ovum gallinaceum æquat, de serpente lapideo in ventriculo cervi reperto differit *Clar. D. Jo: Dan. Maior. in suà Diss. Epist. de cancris, & serpentibus petrificatis fol.* 7.

A me fuit inventus in monte, prope *Bætstein* comitatus Badensis. *Locus.*

Lapis aurem humanam referens *Tab.* 51. *Ein steinenes Menschen-Ohr.* *Lapillus aurem humanam referens.*

Lapis est cinereus magnitudine figuræ similis elegantissimè aurem humanam auriculà, helice, anthelice & conchà instructam referens: inventus est in monte Legerio.

Matites. *Tab.* 10.

Lapis est coloris sublutei & in omnibus figuræ similis mammas muliebres repræsentans. Germanicè vocati potest: *Bruststein*, inventus est in

co-

Locus. eodem monte, lapidum figuratorum fertilissimo.

Colitæ. Colites major subluteus cum appensis testibus, sed non integris. *Tab.* 10.
Tab. 10. *fig.* 1.

Colites minor cinereus cum appensis testibus integris. *Tab.* 10. *fig.* 2.

Colites minimus sine testibus. *Tab.* 10. *fig.* 3.

Locus. Omnes isti tres lapilli membrum virile repræsentant, & ideo Colitæ dicuntur. Reperti sunt in eodem monte.

Balanites. Balanites major subcinereus verrucosus *Tab.* 10.
Tab. 10. Hic lapis glandem virilem repræsentat, unde nomen suum sortitur, figuræ quoad omnia similis est, & collectus in jam sæpius citato monte.

Locus. Hysterolithos major nigricans *Tab.* 10. *fig.* 1.

Hysterolithæ. Hysterolithos minor Helveticus nigricans. *Ein. Mutter-stein. Tab.* 10. *fig.* 2.
Mutter-Stein. Tab. 10. Licet prior Hysterolithos in nostris regionibus hucusque non fuerit collectus, cùm tamen cum nostro Helvetico magnam similitudinem habeat, utriusque descriptionem addere volui. Hysterolithos *Cardano*: Hysteropetra; lapis est ita vocatus, quia pudendum muliebre figurà suà repræsentat, durissimus est, & coloris cinerei, vel nigricantis, ita ut ferrugine quàdam tinctus videatur; magnitudine juglandem non superat, ex unà parte est hemisphæricus, & non adeo politus, ex alterà verò inæqualis pudendum muliebre referens. Ab eo, quem describit *Eruditissimus VVormius in suo museo fol.* 84. differt, quòd ex parte convexà genitalia virilia non exhibeat, præter Hemisphærium inæquale nil præseferens.

Descriptio.

Hysterolithos Helveticus minor priore durior, gravior, & magis nigricans existit, atque ad naturam marcasitæ accedit, magnitudine æqualis est figuræ *Tab.* 10. *fig.* 2. expressæ; è parte convexà præcedente longè inæqualior est, ex altera verò parte non adeò divaricatus, & rimà angustiore donatus, quam ambit series lineolarum transversarum per labia æquali distantià producta.

Generatio præcedentium quinque lapidum lusui naturæ potius, quàm alicui corpori in substantiam lapideam converso adscribi debere videtur.

Hysterolithæ Urticis marinis non parùm assimilatur. Hysterolithas verò quod attinet, inter illos & Urticas marinas magna profectò intercedit similitudo, ita ut valde dubitem, an non ad peculiare genus reducendi sint. Conferatur prima nostra species cum Urticà marinà alià triplici aspectu *Aldrovand. lib.* 4. *de Zoophyt. pag.* 570. & secunda cum Urticà contractà ejusdem Authoris *lib. cit. pag.* 568. magna certò deprehendetur tam quoad structuram quàm ipsam figuram inter illos affinitas, quo in casu lapis melius Urticites diceretur, & in linguà nostrà vulgari: *Ein Kleiner Seeneffel-stein*, quod tamen dubium decidendum iis commendo, qui majorem marinorum cognitionem possident, quàm unus à mari longè dissitus. Ultra similitudinem, quæ habetur inter Hysterolithas, & Urticas marinas meam opinionem persuadere videtur æqualis, & consimilis omnium Hysterolitharum structura, & figura ad Urticas aliquo modo accedens. Quod in aliis corporibus, quæ lusui naturæ, vel casui tantùm ortum suum debent, non observari solet.

Et iis dubia virtutes adscribuntur. De viribus hujus lapidis (quas tamen Boëtius in citatà historià fol. 200. meritò in dubium revocat) ita disserit *Clarissimus Jo: Dan. Horstius*. Prosunt hi lapides hystericis mulieribus in aberratione scilicet, & suffocatione ute-


Pagurus petrificatus
Aranea Marina petrificata
Caput Serpentis petrificatum
Matites
Colitæ
1
2
3
Balanites
Hysterolithæ
1
2
Lingua carpionis petrificata.
Glossopetra dentata
Glossopetræ lævies
1
1
1
2
3
2
4

uteri. Et certè si physiognomiæ aliquid tribuendum, non solùm mulieribus, sed & viris conferri puto, ac forsan Venerem in utroque sexu promovere non ineptè quis crediderit.

Primus colligitur in Diœcesi Trevirensi propè arcem *Ehrenbreitenstein*, dein Mariæburgi, & etiam in vinetis Lohensteinensibus occurrit. Noster è montibus comitatus Neoburgensis fuit transmissus, & huic classi ob similitudinem, quam habet cum priore, adjunctus.

Lingua Carpionis lapidea. *Tab.* 10. *Steinene Karpfen-Zungen.* *Lingua Carpionis* Tab. 10.

Figuræ est triangularis, & in acumen definit, lutei coloris, superficiei inæqualis, ac ferro, quo sagittæ antiquis temporibus munitæ erant, haud dissimilis.

Fuit transmissa è comitatu Neoburgensi, & in ipso lacu inventa, ac pro linguà Carpionis petrificatà donata:

Glossopetra, seu potius Odontopetra cuspidata major livida margine dentatà. *Tab.* 10. *Glossopetra major VVagneri.* *Glossopetra seu Odõtopetra cuspidata.* Steinzungen, besser steinene Fischzæhn. Tab. 10.

Glosso-seu Odontopetra cuspidata major livida.

Glosso-seu Odontopetra cuspidata mediocris livida curva. *Tab.* 10. *fig.* 1. *Glossopetra rostrum corvinum referens Luidio.*

Glosso-seu Odontopetra cuspidata mediocris nigra curva.

Glosso-seu Odontopetra cuspidata mediocris livida recta. *Tab.* 10. *fig.* 2.

Glosso-seu Odontopetra cuspidata mediocris nigra recta.

Glosso-seu Odontopetra cuspidata minor triangularis nigra. *Tab.* 10. *fig.* 3.

Glosso-seu Odontopetra cuspidata minor livida subrotunda valde acuminata recta. *Tab.* 10. *fig.* 2. *Glossopetra Picæ linguam referens Luidio. Ophioglossum petræum VVagneri.*

Glosso-seu Odontopetra cuspidata minor nigra subrotunda valde acuminata recta.

Glosso-seu Odontopetra cuspidata minor livida subrotunda valde acuminata curva. *Tab.* 10. *fig.* 2.

Matrix Glosso-seu Odontopetræ cuspidatæ minoris. *Tab.* 10. *fig.* 4. *Steinzungen besser steinene Fischzæhn.*

Lapides Figurati Petrificati, communiter Glossopetræ dicti, Germanis: *Steinzungen-oder Steinene Natter Zungli*, ita vocantur, quia figurà suà Picæ avis seu serpentis linguam referre videntur, à quà tamen multùm differunt, cùm lingua serpentum non triquetra, sed teres, & bifida sit, dentes potius piscium maris præsertim canis Carchariæ, & Lamiæ incisorios repræsentant, cum quibus structurà & figurà conveniunt, & ideo rectius Odontopetræ, germanicè: *Stein-zæhn* appellandæ essent. Legatur *Anatomia capitis canis Carchariæ Stenonis*, & videantur figuræ elegantissimæ *curiosi. D. August. Scillæ pictoris nella sua vana speculazione disinganata dal senso*. Lapides sunt diversæ figuræ, prout etiam pisces diversis dentibus muniuntur, ut plurimùm tamen sunt figuræ triangularis, quandoque oblongæ, acuminatæ, & subrotundæ, margine interdum lævi, interdum dentatà, basi crassiore porosà & scabrà, quæ radicis vicem gerit, instructi, toto alioquin corpore lævi, & corneo, coloris cæsii, nigricantis, lividi, nec non quandoque lutei, & albicantis: longitudo & crassities quoque diversa est. *Luidius in suo Lythophylatio Britannico* hujusmodi dentes dividit in Inciso-

Steinene Natter-Zungli. Stein-Zæhn. *Descriptio.*

Differentia. cisores, & Molares: per Incisores intelligit dentes magis acuminatos, & eos Ichtyodontes cuspidatos appellat; per Molares verò magis obtusos, & eos Ichtyodontes scutellatos vocat, de quibus infrà quoque pauca disseram

De earum generatione duplex Opinio. De generationis modo Odontopetrarum hìc nil addam, cùm eadem difficultas occurrat, quæ in explicatione originis fossilium marinorum habetur. Sunt enim, qui volunt à vi plasticà seminis in subterraneis Glosso-seu Odontopetras gigni, & pro fundamento non parvo adducunt radicem, quæ in omnibus hujusmodi lapidibus deprehenditur, alii verò contendunt, esse veros piscium marinorum dentes petrificatos, quod quam plurimis rationibus ab experimentis desumptis probare conatur *jam suprà citatus August. Scilla in loco adducto*. Tenuem meam opinionem dubiè tamen proponam *in parte tertiâ lib. 4. & ultimo hujus Tractatus*, ubi pluribus quæstionem de origine fossilium marinorum exponam.

Virtutes interna. Glosso-seu Odontopetræ sunt lapides naturæ alcalinæ, edulcorantis, Alexipharmacæ, Antiepilepticæ, Diureticæ, & Antihydropicæ: pulvis eorum ad scrupulum unum exhibitus variolas, & morbillos expellit, nec non malignitati febrium resistit. Aquæ fontanæ inditi excitant bullas, quibus subsidentibus aqua gargarisata inflammationes faucium & colli, ejusque exulcerationes curat, si credendum iis, quæ *Olaus VWormius in suo museo* adducit. Externè suspenduntur è collo puerorum auro vel argento inclusi, ad arcendam eorum epilepsiam, & pavorem, nonnunquam dentifriciis admiscentur ad dealbandos dentes, gingivarumque acidum absorbendum.

Externa.

Locus. Inveniuntur inter rupes, & commissuras saxorum in monte *VWicken* prope pagum *Reiden* Ditionis Lucernensis, in lapidicinâ prope Badenam Helvetiorum, in Liberis Provinciis prope pagum *Megenvvihlen*, ad radicem Irchelii montis apud *Eigenthal* juxta pagum *Berg*, demum ad villam *Sevv*, prope Bulacum, & ad Monasterium S. Urbani.

Post Lapides Figuratos Petrificatos, qui dentes Incisorios exhibent, ii exponendi veniunt; qui Molares videntur, quorum species sunt.

Dens fossilis, seu Odontopetra Molaris major striatus longissimus. *Tab.* 11. *fig.* 1.

Odontopetra Molares. Dens fossilis, seu Odontopetra Molaris major mandibularis. *Tab.* 11. *fig.* 2. *Steinene meer pferdt-zahn.*

Steinene Meer-pferdt zæhn Tab. 11. Coloris sunt sublutei, & cum dentibus equi marini, seu Hippopotami magnam similitudinem habent, quos observavi Mediolani in celeberrimo museo Septaliano, ubi conservatur caput ingentis molis Hippopotami è Congo transmissum cum duodecim dentibus magnis (è quorum numero primus noster esse videtur) præter mandibulares, quibus secundus valde similis est. Uterque magnitudine figuram impressam bis superat, Rasura horum dentium ad sistendos mulierum fluxus mirabilis est, exhibetur iis ad scrupulum semis cum aquâ Pimpinellæ sanguisorbæ; fiunt quoque ex iis annuli contra spasmum.

Vires.

Hi duo lapides allati sunt è comitatu Neoburgensi, figuræ eorum ex icone patent.

Odontopetra Molaris cinerea biretiformis. *Tab.* 19. *in serie infimâ, num.* 4.

Bire-


ii.
Dentes.
fossiles.
Spina piscis petrificata.
1
2
1
Fungites Orbicularis.
Fungites oris intus reflexis
2

Biretiformis Lapillus Scheuzeri fol.7. Specim. Lith. Helv. Ein Kleiner runder steinener Stockzahn.

Lapillus hic magnitudinis est ejusdem cum figurà biretum repræsentans, quo antiqui usi sunt; in parte superiore hemisphæricus est, in cujus centro punctum majusculum excavatur, reliquà superficie hinc inde punctulis minoribus ornatà, basi verò planà existente. Odontopetra vocatur propter maximam similitudinem, quam habet cum dentibus molaribus piscium marinorum Synagridis, Sargi, & Auratæ, ad quos jure merito refertur. non minus ac Bufonitæ *Luidio* vulgò: *occhi di serpi* Melitensium germanicè: *Schlangeneugli*, *vid. Tab.2. Aug. Scil.*, in quà mandibula piscium prædictorum unà cum dentibus diversæ speciei, & figuræ elegantissimè exprimuntur. *Descriptio.* *Bufonitæ* Schlangeeugli.

Inventus est in monte Legerio.

Spina piscis lapidea. *Tab.11. Ein steinener Fischgradt.* Tab.11.

Lapis similis est fissili, coloris nigri, & lapis figuratus pictus videretur, nisi spina ita emineret, ut faciliter cognosceretur, eam lapidi immersam esse, quod in lapidibus figuratis pictis corpora naturalia repræsentantibus non evenit: longitudine ad dimidiam spithamam accedit, latitudine duos pollices vix æquante. Spina incipit trunco crassiore, qui sensim imminuitur, & in minores ramos, seu spinas costularum instar distribuitur, donec in ipso lapide prorsus obliterentur. *Locus* *Spina piscis lapidea.* Ein Steinener Fischgradt.

Hunc lapidem in summo cacumine altissimi montis *Keisserstuhl* Ditionis subsylvanæ collegi.

Pes alicujus animalis aquatici lapideus. *Tab. 11. n. 1. Ein steinenes fuesli. Tab.11.* *Pes alicujus Animalis lapideus.* Ein Steinenes fuesli.

Lapillus parvus est, magnitudine figuræ similis, striatus, cinereus, pedem cum membranà digitos jungente animalis aquatici petrificatum repræsentans, inventus est in monte Legerio.

Lapis Percæ piscis. *Tab.20. Ein Eglestein, oder Rehlingstein.* Tab.11.

Hic lapis cum figurà in *Tab.20.* expressà magnitudine, & parte suà internà concavà convenit, squamatus enim est millepedum instar in circumferentiâ dentatus, & oblongus, de cętero albus & ex parte oppositâ planus, ac lævis, germanicè vocatur: *Ein Egle-Stichling oder Rechlingstein*, quia in capite Percæ piscis aculeati circa exortum spinæ invenitur, ubi duo occurrunt, utrinque unus, utriculis quibusdam inclusi, in piscibus tamen coctis facilè separabiles. Lapis hic etiam describitur à *VVormio in suo museo pag. 59. & ab Ans. Boet. in cit. lap. Hist. lib. 2. c.* 188. *Locus.* *Lapis Percæ piscis.* Tab.20. *Locus.*

Quod ad ejus vires attinet, renibus & vesicæ dicatus est, nam calculos in prædictis partibus latentes ad drachmam unam cum vino exhibitus comminuere creditur, deinde, *teste Edtmillero*, egregium subministrat diureticum, quod facilius oculis cancri solvitur, & majori cum efficacià acida infringit, unde in dysuriâ ab intempestivo acidorum usu exortâ tanquam præsentaneum commendatur remedium: Germanos & Bohemos esse persuasos, quòd hic lapis etiam externè loco dolenti appositus calculum contentum in renibus detrudat in vesicam, vel ex hàc in urethram, habetur *ex Boetio loc. cit.* *Vires interna.* *Externa.*

CAPUT SECUNDUM.

Lapides Figurati Petrificati vegetabilia integra, vel eorum partes repræsentantes.

POst animalia, eorumque partes petrificatas sequuntur vegetabilia exponenda, quæ prioribus nec copiâ, nec artificio petrificationis minimè cedunt.

GENUS I.

Lapides Figurati Petrificati vegetabilia integra repræsentantes.

Fungitæ. Steinene Pfifferling oder Scvvaéme. Tab. 11. & 12.

HOrum agmen ducunt Fungitæ, quorum Species sunt:
Fungites maximus pileolo lato. *Tab.* 12.
Fungites major orbicularis. *Tab.* 11.
Fungites major oris intus reflexis. *Tab.* 11.
Fungites minimus in suà circumferentià crenatus. *Tab.* 12. *n.* 1. vulgò: *Steinene Pfifferling oder Schvvaemme.*
Fungites marinus striatus & crispatus. *Tab.* 12. *Amaranthus saxeus cum suo annato Saxo Georgii Eberhardi Rumphii observatione* 24. *Ephen: Acad: naturæ curios. anni tertii fol.* 78. *Ein steinener gekrauster Corallen schvvam.*

Omnes isti lapides Fungitæ vocantur, germanicè: *Steinschvvæmme oder Steinpfifferling*, quia figurâ suâ fungos imitantur: sunt coloris subflavi, & substantiæ durissimæ; in parte superiore venæ hinc inde dispersæ observantur, subtus verò non rarò striæ minùs profundæ excurrunt à centro ad peripheriam lineâ rectâ productæ, quæ situm adhuc & dispositionem lamellarum pendentium, è quibus fungi conflari solent, indigitant, magnitudine differunt, ut ex iconibus patet, & omnes pediculo suo sunt instructi, licet frequenter etiam sine eo occurrant.

Locus. Colliguntur in monte Legerio, & Randio & apud Toggios prope Roschach, nec non in comitatu Badensi non procul à *Bætstein*.

Fungites Marinus. Amaranthus saxeus. Fungitis fossilibus addidi Fungitem marinum striatum & crispatum, Amaranthum saxeum cum suo annato saxo *Rumphii*, *Ein Steinener gekrauster Corallen schvvam*, qui è lapide duro cinerei coloris & tubulo vermiculari donato exsurgit: figuram imago *Tabulæ duodecimæ* sistit, quà lapis duplo major est, candidissimi coloris, & in lamellas tenuissimas striis profundis distinctas divisus: crescit sub aquis marinis, & corallii species est, quamobrem Itali illum florem Coralliorum alborum vocant: è mari Mediterraneo quàm plurimi afferuntur: *Rumphii* circa insulam Amboinam repertus est.

Flos Coralliorum. Locus:

Lycoperditæ. Steinene VVolfs schvvæme. Tab. 12.

Lycoperdites vulgaris major. *Tab.* 12.
Lycoperdites rotundus orbicularis.
Lycoperdites minimus pediculo donatus *Steinene VVolfs schvvumme.*

Lycoperditæ sunt lapides, qui figurâ suâ imitantur fungos vesicarios, Cre-

12.

Fungites pileolo lato.



Fungites marinus striatus et crispatus.

Lycoperdites vulgaris.

i



13.

Equisetum sub aquâ repens fætidum petrificatum



Lichen petrificatus.

Muscus vulgatissimus petrificatus.





14.

Fucus petrificatus.



Virgulta petrificata.



Radix petrificata.



Crepitus lupi nuncupatos, & ideò germanicè *Steinene VVolfsfist oder VVolffschvvamme* appellari possunt: primus in *Tab.* 12. Tam quoad figuram, quàm magnitudinem optimè exprimitur. Secundus fungo rotundo orbiculari *Casp. Bavh. Pin.* 374. similis est, & tertius Lycoperdon Parisiense minimum pediculo donatum *Turnef.* 441. *Instit. rei herbariæ* præsefert; omnes sunt cinerei coloris, & in iisdem locis, ubi priores Fungitæ colliguntur, etiam hi occurrunt. Tab. 12. *Locus.*

Equisetum fœtidum sub aquà repens *Casp. Bavh. Pin.* 16. petrificatum *Steinenes VVasserschaftheu oder Katzenvvadel.* *Herba petrificata.*

Lichen petræus latifolius petrificatus. *Tab.* 13. *seu Hepatica fontana Casp. Bavh. Pin.* 362. *Steinenes Leberkraut.* Tab. 13.

Muscus vulgatissimus petrificatus. *Tab.* 13. *Steinenes gemeines Moss.*

Muscus filicinus petrificatus. *Steinenes Fahrnkraut moss.*

Fucus petrificatus. *Tab.* 14.

Virgulta petrificata. *Tab.* 14. *Steinenes gesteudt.*

Si quis admirandum naturæ lusum, & subtile aquæ petrificantis artificium contemplari desideret, prædicta sex vegetabilia in substantiam lapideam conversa intueatur, jucundius profectò spectaculum etiam sedulus naturalium indagator nunquam viderit: Sunt enim corpora è filamentis exilibus & foliolis tenuissimis conflata, ac sine minimà texturæ labe ad tantam duritiem redacta, ut, nisi minutissimæ eorum partes impulsui vehementiori cederent, ipsum marmor soliditate vincerent. Quid pulchrius Equiseto nostro fœtido petrificato excogitari potest? aspiciatur, quæso, infinitus cauliculorum mille modis sese implicantium numerus, observentur foliola minima, quibus cauliculi exornantur, debito ordine & situ disposita, sine ullà adhærente, aut commistà materià heterogeneà, quæ naturalem caulium, vel foliolorum seriem turbaret: Equiseto Lichen petræus latifolius petrificatus nec tenuitate foliorum, nec admirandà eorum dispositione cedit, nam foliola sæpius sine contactu unius cum altero quasi è radice ordine prorsus naturali exsurgunt venulis suis, & filamentis donata, ut ipsa herba adhuc virens diceretur, nisi color cinereus petrificatis magis proprius, & durities ipsa cum pondere fraudem proderent. Musci verò ob naturalem structuræ raritatem, in quibus etiam vix perceptibiles fibræ in substantiam lapideam durissimam coactæ sunt, admirationem longè majorem ratione subtilioris petrificationis metamorphoseos merentur. Lapis, quem fucum petrificatum appello, simillimus est fuco ad radicem palorum hortos cingentium nascenti, qui pyramidalis est, & ob structuram suam cum fungis magnam affinitatem habet, exceptà radice, & fibrositate ligneà, quà donatur; facies fuci externa nigra est, interna autem candida, & ad texturam ligni, uti dictum est, accedit. Mihi missus est Basilæà à doctissimo viro *D. Stehelin* sub eodem nomine. *Silvius Bocconus* illum vocat fungum lignosum nigrum rostratum Antverpiensem *fol.* 298. *Mus. Phys.* *Mirabilis herbarum petrificatarum structura.* *Equiset petrificatum.* *Lichen petræus.* *Muscus.* *Fucus.*

Virgulta petrificata sunt quisquiliæ omnis generis vegetabilium simul unitæ, & in lapidem conversæ, ita ut nec minima & tenuissima straminis fragmenta excipiantur. *vid. Tab.* 14. in hujusmodi quisquiliis præter petrificationem notandum venit, quòd omnes simul mediante petrificatione agglu- Tab. 14.

Indicium latentis liquoris viscosi, vel ramosi in petrificatis.

agglutinentur, certum indicium latentis liquoris viscosi, & ramosi, qui ubique ad producendos lapides concurrit.

Petrificata in magnà copià colliguntur leucà medià infra Rheinfeldam circa ripam Rheni, quæ tota saxea est, & supra quam rivulus excurrit omnia corpora, in quæ impingit, in substantiam lapideam convertens, aut incrustatione obducens, quo in loco etiam prædicta inveni.

GENUS II.

Lapides Figurati Petrificati vegetabilium partes repræsentantes.

PEr lapides figuratos petrificatos partes vegetabilium repræsentantes non solùm intelliguntur ii, de quibus certi sumus, quòd olim fuerint corpora plantarum nunc in substantiam lapideam conversa, sed etiam illi, qui figurà suà partes vegetabilium v. g. semina, fructus ita repræsentant, ut probabilis dubitandi locus sit, an non sint fructus vel semina plantarum in lapidem commutata, vel saltem figuram seminum & fructùs tam affabrè præseferunt, ut cuilibet studio & omni industrià eas contemplanti fatendum sit, reverà hos lapides cum tali plantarum fructu, aut semine, quo ad potiora figurà suà convenire.

Species sunt:

Rizoides seu Radix petrificata Ein Steinene vvurtzen. Tab. 15.

Radix petrificata. *Tab.* 14. *Ein Steinene VVurtzen.*

Lapis est radici simillimus, & ideò Rizoides, germanicè: *Steinvvurtzen* vocari potest: magnitudinem & figuram sistit *Tabula* 14. sublutei est coloris, & radicem Pastinacæ tenuisoliæ sativæ radice luteà *Casp. Bavh. Pin.* præsefert, allatus est è Toggio.

Ramus quercùs unà cum cochleà adhærente petrificatus. *Tab.* 15. *Ein Steinener Eichast sambt einem schneggen.*

Locus. Ligna petrificata.

Cortex ejusdem arboris petrificatus. *Tab.* 15. *Ein steinene Eichrinden:*

Frustum ligni Tiliæ petrificatum. *Tab.* 15. *Steinenes Lindenholtz.*

Quòd ramus petrificatus fuerit quercinus, non dubitandum est: etenim ex cortice, ligno, & ipsà dispositione fibrarum patet. Interna substantia coloris est punicei, cortex verò magis ad nigrum vergit, mirabile est, quòd simul cochlea fissuræ corticis inhærens in substantiam lapideam fuerit versa. Cortex petrificatus ejusdem arboris est in parte internà, qnà lignum respicit, spadiceus, externa verò ad albedinem accedit. Frustum demum ligni Tiliæ simile cinereum est, fibris tam rectis quàm transversis ita distinctum, ut verum lignum videatur, nisi tactu & pondere dignosceretur. E lignis petrificatis cotes optimæ efformari solent ad acuenda ferramenta, quibus artifices utuntur, & chirurgi. Omnia tria petrificata figuras *Tabulæ* 15. bis superant mole.

E lignis petrificatis fiunt cotes optimæ.

Infra Rheinfeldam ad ripam Rheni colliguntur; lignum fossile etiam eruitur apud Toggios prope *Liechtensteeg*, & in prato *Kehlen in vveltkammerriedt* Ditionis Tigurinæ.

Folia Fagi petrificata *Tab.* 16. *Steinene buchbletter.*

Folia Alni petrificata. *Tab.* 16. *Steinene Erlenbletter.*

Folia Quercùs petrificata. *Tab.* 16. *Steinene Eichbletter.*

Folia Salicis petrificata. *Tab.* 16. *Steinene vveidenbletter.*

Hæc

15.

Ramus Quercus unà cum cochleà petrificatus.

Cortex quercinus petrificatus.



Frustum ligni petrificatum

16.

Folia fagi petrificata.

Folia Alni petrificata.

Folia quercùs petrificata.

Folia salicis petrificata.

Hæc folia petrificata & alia hujusmodi intra Tophum vulgò: *Tuftstein oder Tugstein* plerumque deprehenduntur, cujus majorem partem sæpius constituunt, & ab illo magnà vi separari debent. Tophus autem est lapis porosus, asper et scaber, facilè in arenam solubilis, & multis foraminibus donatus, quæ illi levitatem inducunt, generatur à magnà musci, aliarumque herbarum, & quisquiliarum copià mediante aquà petrificante in substantiam saxeam versà, vel materià lapideà incrustatà. Secundùm diversum herbarum situm, & aquæ cadentis, aut decurrentis dispositionem nunc levior, aut gravior, nunc magis, aut minùs solidus Tophus producitur. *Tophus.* Tuftstein. *Generationis modus.*

Adhibetur ad ædificia exstruenda, & ad eorum arcus formandos, nec non ad rimas parietum collabentium replendas, cùm præ levitate non premat, & ob porositatem extrema facilè agglutinet. Ex his foliis petrificatis non minùs ac è prioribus elucescit elegantissimum petrificationis artificium, cùm impossibile videatur, quòd innumera folia in unà massà congesta in lapideam substantiam convertantur cum omnibus suis etiam minimis signaturis, & tenuissimis venulis, ita ut nec ab irruente aquà lædantur, aut superius inferiori folio aliquam labem inferat. vel omnimodum petrificationis effectum impediat, quod necessariò fieret, si hæ imagines solùm à foliis arboribus delapsis materiæ tophaceæ imprimerentur: nam una confunderet, vel prorsus deleret alteram, quod dictum sit pace *Erud. viri D. Scheuz, qui in suà Epistolà ad D. Lochn.* judicat Phyllitas Tophaceos solummodo ab impressione foliorum produci, foliis in pulverem abeuntibus. In eàdem Rheni ripà copiosè occurrunt cum Topho, qui sæpius integram ripam obtegit, nec non prope pagum *Stulken* Ditionis Tigurinæ. *Et usus.* *Locus.*

Calix glandis quercinæ unà cum pediculo petrificatus. *Tab.19. serie ultimà, num.1. Ein steinenes Eichen hulslein mit seinem stieli.* *Fructus petrificati.*

Glandites quercinus. *Tab.19. Ein steinene Eichel sambt dem hulseli.* Tab.19.

De his duobus petrificatis nullus dubitet, quòd non sint partes quercùs in lapidem versæ: etenim non solùm externa conservant quercùs lineamenta, sed insuper partes internæ simul in iis observantur, secundum id, quod docet *Agricola lib.7. de naturà fossilium fol.* 327. & 328. cùm natura lapides arborum similes procreet, diligenter videndum est, an corticem & medullam, aliaque habeant, quæ si absunt, non stipites in lapides conversi sunt, sed natura fecit lapides stipitum simillimos. In Glandite adest glans quercina calice suo aspero inclusa, qui in priori corpore petrificato sine glande pediculo suo, cortice, & medullà instructo insidet. A me collecti sunt in monte Legerio. *Signum petrificatorum.* *Locus.*

Gallites puniceus conglomeratus. *Tab.19. Ein Steinener Gallapfel.* *Gallites.*

Gallites lapis est colore & formà gallam conglomeratam, prout in foliis quercùs sæpius occurrit, referens, quamobrem illum in linguà nostrà vernaculà: *Gallapfelstein* vocarem. Figura utriusque subrotunda est, & nonnihil compressa, color puniceus; superior cavitate transversà donatur. Inventus est in monte Legerio. Gallapfelstein. Tab.19. *Locus.*

Lapillus collariformis cinereus. *Tab.19. fruct: frut: petrif: n.1. Ein Kræslinstein.* Tab.19.

Vi-

Videtur hic lapillus fructus petrificatus Paliuri *Dod: Pempt:* 756. seu Rhamni folio subrotundo fructu compresso *Casp: Bavh: Pin:* 477. Lapis enim est orbicularis, cujus centrum convexum est, & quasi membranà crispà, propter quam illum lapillum collariformem, vulgò: *Kræslinstein* vocavi, horizontaliter cinctum, cinerei est coloris, & ejusdem magnitudinis, quam figura sistit. In monte Legerio occurrit.

Locus.

Lapillus pyriformis Ein kleiner byrlinstem. Tab. 19.

Lapillus pyriformis. *Tab.* 19. *fruct: frut. petrif. n.* 2. *Ein Kleiner Byrlinstein.*

Præsefert hic lapillus fructum oblongum alicujus Oxyacanthæ, seu Mespili sylvestris. Cinereus est, & oblongus in parte superiore nonnihil globosior, & crassior, cujus centrum occupat stellula concava in sex radios divisa, versus partem inferiorem verò angustior fit, ita ut pyro parvulo simillimus sit, & propterea etiam *Byrlinstein* appellari posset, repertus est in monte Legerio.

Tertium lapidem fructuum fruticum petrificatorum, comparari posse cum Myrtillis ipsa figura demonstrat, sed, cùm potius ad fructum Taxi accedat, sequentem constituet speciem:

Fructus Taxi petrificatus. Tab. 19.

Fructus Taxi petrificatus. *Tab.* 19. *fruct. frut. petrif. n.* 3. *Steinene frucht von dem Eibenbaum.* Lapis cum figurà convenit, & in eodem loco cum duobus præcedentibus inventus est.

Pisolithes major cinereus. *Tab.* 19.

Pisolithæ.

Pisolithes minor fuscus. *Tab.* 19. vulgò: *Erbsstein.*

Pisolithæ sunt lapilli, qui ob formam rotundam pisi æmulam ita nuncupantur, Germanis *Erbs-stein*. Concrescunt è guttulis aquarum rotundis sphæricis in lapidem ejusdem figuræ commutatis. Reperiuntur in monte Legerio, & Lettenbergà prope Horgam apud Tigurinos, nec non in montibus prope Brugam Ditionis Bernensis.

Locus.

Amygdaloides subluteus major. *Tab.* 19.

Amygdaloidæ. Mandelstein. Tab. 19.

Amygdaloides subluteus minor. *Tab.* 19. vulgo: *Mandelstein.*

Sunt lapilli magnitudinis figurarum *Tabulæ* 19. formà suà amygdalas referentes, unde germanicè *Mandelstein* appellari poterunt, constant ex lapide calcario: causam figuræ potius casui adscribendam puto quàm fructui in montes delato, & ibi petrificato. Amygdaloidæ in plurimis locis Helvetiæ reperiuntur, potissimum autem in monte Randio & Legerio.

Locus.

Myrtillitæ Heidelbeerstein. Tab. 19.

Myrtillites major cinereus umbilico magis excavato. *Tab.* 19. *fig.* 1.

Myrtillites major cinereus umbilico minore. *Tab.* 19. *fig.* 2. vulgò: *Heidelbeerstein.*

Myrtillitæ sunt lapides figurà suà fructus Vitis Idææ seu Myrtilli imitantes, ideòque in nostrà linguà vulgari *Heidelbeerstein* vocandi. Substantiæ sunt durissimæ, & ex materiâ seleniticà conflatæ, cinerei coloris, subrotundi, & in parte superiore primus lapis umbilico satis amplo, rotundo, & concavo donatus est instar fructùs Vitis Idææ foliis oblongis crenatis fructu nigricante *Casp. Bavh. Pin.* 470. Secundus verò umbilico minore insignitus est ad modum fructus Vitis Idææ foliis oblongis albicantibus. *Casp. Bavh. Pin.* 470. nec non è parte oppositâ tantillùm elongatur. Inventi sunt in monte Legerio.

Locus.

Corallites Bergcorallen.

Corallites major reticulatus. *Tab.* 17. *Bergcorallen.*

Co-

Hammitæ seu Ammonitæ



Alcyonia tuberosa formà fructus alicuius ficus. Scheuchz.



Modioli stellati. Luid.



Amygdaloidæ



Myrtillithæ.



Gallites



Fructus Fruticum petrifica. ii

Pisolithæ.

Radioli Echin. Spinosi



Glandites

17.

Corallites maior reticulatus.



Corallia marina squamea.



Retepora seu Eschara marina fossilis.

Astroites Tubularis.



Astroites vulgaris



Corallia marina squamea squamis sursum spectantibus . *Tab.* 17. *fig.* 1. Corallia marina squamea squamis deorsum spectantibus . *Tab.* 17. *fig.* 2. *Geschupte, oder VVilde meer corallen.* *Corallia marina squamea.* Tab. 17.

Corallites ad hoc genus reducitur, quia passim tanquam planta marina (nimirum Corallium) petrificata æstimatur, magnitudo ejus similis est figuræ *in Tab.* 17. repræsentatæ, undique punctis quadratis rectà & perpendiculari serie positis donatus est, ita ut aliquod rete efforment; coloris est sublutei, variis protuberantiis & abruptorum ramorum reliquiis deformis, per superficiem externam excurrunt tubuli minimi vermiculares, qui corpus marinum esse indicant, & quod fortè plures philosophi ad Alcyonia referrent, eiusdem est speciei cum Corallio fossili cortice reticulato obducto *Scheuz: pag.* 14. à quo solùm crassitie differt. In monte Legerio occurrit. *Cur Corallites ad hoc genus reducatur.* *Locus.*

Coralliti majori reticulato apposui Corallia marina squamea squamis sursum & deorsum spectantibus, aliis Corallia immatura, vulgò: *Geschupte oder unreiffe vveisse corallen*, dubitans, an fortè hæc sub terrà recondita, & squamis suis spoliata tales Corallitas reticulatos suppeditare possent: etenim eodem ordine squamæ sunt positæ, & deciduæ talia puncta quadrata, quibus Corallitæ donantur in superficie, post se relinquunt, prout videre licet in *Tab.* 17. *fig.* 2. in ramusculis Coralliorum minoribus squamis destitutis. *Corallia marina squamea.*

Retepora seu Eschara marina fossilis. *Tab.* 17.

Lapis est tenuis, latus, folii Brassicæ instar crispatus ex albo ad cinereum colorem vergens, punctulis minimis per totam ejus superficiem dispersis, quibus Escharam *Rondeletii*, seu Reteporam *Imperati* præsefert. Figuram *Tab.* 17. magnitudine æquat. Si viribus cum Escharà *Rondeletii* convenit, tunc siccat, & carnem superfluam absumit, ulceribusque malignis resistit. In monte Legerio inventus est. *Retepora, seu Eschara marina fossilis.* Tab. 17. *Vires.* *Locus.*

Unicornu fossile. *Gegraben Einhorn.*

Generi Lapidum Figuratorum partes Vegetabilium repræsentantium pro coronide adjungo descriptionem Unicornu fossilis jam sæpius in pluribus Helvetiæ partibus reperti, tum quia frequentius lapideum existit, vel saltem lapideo cortice obductum est, tum etiam quia ramos arborum petrificatos præsefert, & ab omnibus tanquam nobile, multisque experimentis approbatum remedium vehementer desideretur, quamobrem non nunquam magno pretio comparatur. Unicornu fossile Germanis *gegraben Einhorn*, *Gesnero* audit Ceratites. *Clusio*: Ebur fossile. *Cæsalpino*: Lapis Arabicus, quibusdam Dens Elephantis petrefactus, aliis Lithomarga, quam nominum varietatem illi tribuit diversitas formarum, sub quà apparet. Osteocollis valdè affine est, ejusque substantia aliquando magis, aliquando minùs lapidea existit, ita ut etiam ad lapides molles referri possit. Lævore & figurà cornu assimilatur, ac cortice involvitur, qui plerumque durior est substantià internà, colore tinctus est flavescente, cinereo, aut subnigro, & linguæ admotus, ei firmiter adhæret: medulla verò mollior existit, friabilis, & sine poris compacta, albicans, ac odorem gratum spirans, redolentem lac cum amygdalis mixtum: ante sex annos magnum Lauffenburgii (oppidum est Helvetiæ proximum. *Unicornu fossile.* Gegrabē Einhorn. *Eius varia denominationes.* *Osteocollis affine est.* *Loca nativa.*

ximum, & ad Rhenum ſitum) fuit effoſsum, cujus diameter ex parte craſſiore palmum cum dimidio æquabat, longitudine ſeſe ad duos pedes producente. Cortex erat flaveſcens colore albo intermixto, duriuſculus, & linguæ validè adhærebat, medulla autem mollior erat candida, & cretacea, unguibuſque raſibilis. Fibræ ligneæ ſtrias efformantes per integrum corticis, & medullæ tractum obſervabantur, manifeſtum indicium, fuiſſe ramum arboris in ſubſtantiam lapideam converſum. Alia duo in Helvetiâ fuiſſe inventa ſcribit *VVagn: loc. cit.* unum nimirum Brugæ ad ripam Arolæ, alterum autem apud Suitenſes Arthæ non procul à rivulo *Aa*. Materiam & modum generationis Unicornu foſſilis valde probabilem tradit *Anſ: Boet: in ſuâ Hiſt. Gem: & Lap. lib. 2. c. 242. fol. 209.* ſequentibus verbis: Materiam proximam generationis horum cornuum Margam, vel Margæ ſpeciem eſſe exiſtimo, quæ, dum lapideſcente, & ſubterraneâ aquâ fluente irrigatur, vel ſolvitur, lactis inſtar fluit per terræ cavitates, in quibus ſi à terrâ adſtante aquæ ſeroſior pars abſorbetur, aut imbibitur, vel præterfluit, tum craſſior pars cavitates implendo ſiſtitur, & abſumpto omni humore coaleſcit, lapidiſque formam, & cornu præſefert, aut Margæ tantùm, ſi ſuccus exiguam vim lapidificam habuerit. Hæc cauſa eſt, quòd interdum ejuſmodi fruſta craſſa, interdum exigua & tenuia conſpiciantur. Verùm ſi lacteus humor non in cavitatem, ſed in lignum aliquod jam vetuſtate arefactum incidat, illiuſque corpus jam leve & poroſum ſubeat, & exhalatâ aquæ tenuiore parte, craſſior remaneat, lignum tranſmutat, ejuſque partes ſibi aſſimilat, ita tamen, ut ſpecies ligni noſci, & interdum odor deprehendi poſſit, quod ligno contingit, id etiam cornubus cervinis, dentique Elephantis, aliiſque quadrupedum partibus, ſi in hujuſmodi loca decidant, contingere poteſt.

Deſcriptio Unicornu foſſilis Lauffenburgii ad Rhenum inventi.

Modus generationis ab Anſelmo Boetio traditus proponitur.

Hæc eſt veriſimilior de generatione Unicornu foſſilis opinio, quam etiam approbat *VVormius in ſuo muſeo fol.* 54. etenim eaſdem vires cum Margâ, Bolis, & Terris ſigillatis poſſidet, conjecturâ aliorum de cornubus Monocerotum diluvio per varia loca diſperſis nullam vel ſanè levem probabilitatem habente.

Viribus cũ Marga, Bolo, & Terris ſigillatis convenit.

Ex hàc generationis Unicornu foſſilis deſcriptione elucefcit, modum ejus à petrificatione non differre, niſi quòd in Unicornu foſſili aquæ ramentis lapideis imbutæ locò Marga quædam ſoluta, & lactis inſtar fluens ſaleque lapidifico imbuta ligna vel alia corpora in Unicornu foſſile tranſmutanda ſubeat, quæ dein unà cum corpore in ſubſtantiam lapidem inter & Margam mediam coagulatur, & figitur: ab hàc Margâ Unicornu foſſile ſequentes & minimè deſpiciendas virtutes acquirit.

Unicornu foſſile non eſt cornu Monocerotis petrificatum.

Unicornu foſſile alexipharmacum eſt, cardiacum, & validum ſudoriferum. Aſtringit ſine morſu, edulcorat, & in febribus malignis ac peſtilentialibus, nec non in expellendis variolis & morbillis præſtantiſſimum ſubminiſtrat remedium: à veneno cor, omniaque præcipua corporis viſcera præſervat, illud ad peripheriam pellendo, vel etiam prorsus extra corpus mediante ſudore eliminando, vermes potenter necat, fluxus alvi, hæmorrhoidum & uteri fæliciter ſiſtit, præſertim in febribus malignis, ubi frequenter hujuſmodi ſymptomata à malignitate inducuntur, & niſi tempeſtivè ſuccurratur, ægris brevi vires ſupprimunt, imò etiam vitam ipſam auferunt.

Eius Vires. In febribus malignis, venenis, vermibus.

ferunt. In syncope, & cordis tremore ad scrupulum unum cum aquà appropriatà, vel vino oligophoro exhibitum mirè ægrotos refocillat, eodemque modo ad epilepsiam puerorum propinatur. Oculis lachrymantibus medetur in tenuissimum pollinem redactum, & cum lacte instillatum. Ulcerum externorum acidum absumit, & ea purificando consolidat. Non omnia cornua tamen easdem possident vires, nam secundùm diversitatem substantiæ ac texturæ unum nobilius est altero, optima sunt, quæ non adeò dura existunt, & facilè in pulverem rediguntur, coloris sunt albicantis, & linguæ admotæ firmiter adhærent, gratumque spirant odorem, quæ verò lapidum instar dura sunt, inodora, medullà destituta, tanti non æstimantur, & præter exsiccandi vim vix alià donantur virtute. *Vide Ans: Boet: loc. cit.* ubi plura adducuntur ægrorum exempla, quibùs Unicornu fossile magna & egregia beneficia præstitit.

In syncope, & cordis tremore. Epilepsiâ puerorum. Oculis lachrymantibus. Ulceribus externis consolid. Signa Unicornu fossilis optimi.

CAPUT TERTIUM.

Lapides Figurati Petrificati figuræ incertæ, ad quid referri debeant.

PEr Lapides Figuratos figuræ incertæ, ad quid referri debeant, intelliguntur ii, qui ob figuram determinatam quidem inter lapides figuratos poni merentur, sed tamen magnum dubium inter Philosophos sit, ad qualia corpora naturalia propter figuram suam reducendi sint. Non omnis autem figura dubia lapidem figuratum propriè dictum constituit, sed tantùm ea, quæ pluribus communis est, vel saltem alii lapidi figurato, aut corpori naturali quoad potiora similis, aliàs tot lapidum figuratorum differentiæ, genera, & species constituendæ forent, quot lapidum diversæ figuræ observantur, quæ sunt infinitæ & innumerabiles. Quis enim numerare poterit diversissimas silicum formas? Quis referet varia marmoris, aliorumque lapidum pigmenta, non solùm coloribus, sed etiam figuris à venis hinc inde per eorum superficiem excurrentibus, milleque modis sese intersecantibus productis summoperè differentia? Profectò nullus: ut igitur omnis evitetur confusio, tantùm eos lapides figuratos censendos puto, qui figurà determinatà pluribus communi, vel saltem alii lapidi figurato, aut corpori naturali quoad potiora simili donantur. Figura incerta autem lapidum figuratorum est vel Regularis, vel Irregularis.

Quid intelligatur per figurâ incertam.

Lapis figuratus propriè dictus.

GENUS I.

Lapides Figurati Petrificati figuræ Regularis, & incertæ, ad quid referri debeant.

PEr Lapides Figuratos Regulares denotantur ii, quorum figuræ in uno vel pluribus sibi similes sunt, & tali symmetriâ donati, ut partium ipsius figuræ, vel etiam lapidis aliqua regularis ac ordinata proportio appareat.

Figura Regularis.

Species sunt:

Astroites vulgaris cinereus. *Tab. 17. Ein Aschfarber gestirnstein.*

Astroita. Tab. 17.

Tab. 20. Gestirnstein. Astroites stellis maximis. *Tab.* 20. Cometites *fortè Velschii Hecast.* 1. *p.* 61. *Ein Gestirnstein mit den grœsten sternen.*

Tab. 17. *Cur ita vocentur.* Sternstein Sigstein. Astroites Tubularis candidus. *Tab.* 17. *Ein Rœhrligestirnstein.*

Astroitæ sunt lapides, qui in suo corpore plures stellas aliquando superficiales tantùm, aliquando verò ipsam lapidis substantiam permeantes exhibent, unde à Germanis *Sternstein* vocantur, vel etiam *Sigstein*, quia gestanti victoriā comparare creduntur: potius autem illos appellarem *Gestirnstein*, quia pluribus suis stellis in superficie positis sidera seu astra præseferunt, & sic etiam in germano idiomate à Lapide Stellari unicam stellam referente distinguerentur, qui propriè *Sternstein* vocari debet, aliquando stellarum loco rosas exhibent, & tunc Rhoditæ *oder Rosenstein* vocantur, aliquando Cometas præseferunt & Cometitæ, vel: *Cometstein* nuncupantur. Si verò undas, vel fluctus repræsentent: Hydatitæ seu Cymatitæ, vulgò: *VVasserstein* audiunt, & Stigmitæ vel *Dupfenstein*, quando punctis innumeris & minutissimis ornati sunt; non nunquam omnes simul figuræ in eodem lapide conspiciuntur. Quo ad Astroitarum texturam non adeò duri sunt, colore cinereo, vel fusco, aut etiam nigricante, stellis majori ex parte in superficie suà insigniti. Magnitudine quoque differunt, nostri icones in *Tab.* 17. *&* 20. expressas mole duplo superant formam figuræ retinentes.

Quid sit Rhodites. Rosēstein

Tab 17. & 20.

Astroitæ vulgaris descriptio.

Astroites vulgaris cinereus est in superficie suà stellis æqualiter distantibus, & prorsus consimilibus undique donatus, quas lineolæ rectæ & æquales coloris fusci è puncto intra scrobiculum seu foveolam orbicularem eminente tanquam suo centro emergentes efformant, & plerumque uniuntur ob contiguitatem stellularum, quæ lapidem altè non penetrant, sed in puncta rotunda nigricantia selenitica abeunt, in ipso lapide tandem omninò evanescentia, non secus ac figuræ lapidis frumentarii inferius describendæ, cujus apud nos major invenitur copia, & sic major oblata fuit occasio, plura de ejus structurà instituendi experimenta. Tota substantia Astroitæ selenitica videtur, & licet è Tyroli etiam iste fuerit allatus, stellæ tamen substantiam lapidis non permeant: strias verò cometiformes, & à centro lapidis ad peripheriam expansas (quas describit *Scheuz. in suo specim: Lithog. Helvet.*) ipsas fibras seleniticas post divisionem lapidis apparentes esse existimo, prout in Lapide Bononiensi rupto quoque observantur, qui in uno loco magis colliguntur, quàm in alio, & sic figuras scopis similes exhibent.

Unde striæ cometiformes in lapide rupto apparentes

Astroitæ stellis maximis descriptio.

Astroites stellis maximis à prædicto differt, quòd hujus stellæ quoad omnes suas partes majores sint, radiisque longioribus & undatis donatæ, neque in tantà copiâ adsint, neque in æquali distantiâ collocatæ, & quoad magnitudinem non parùm discrepent, cùm econtra stellæ prioris Astroitæ quoad omnia sibi consimiles existant, & integram lapidis superficiem occupent.

Causa stellarum in illis apparentium.

Cùm hi duo Astroitæ stellas habeant, quæ quoad materiam, ex quà constant, conveniunt cum figuris lapidum frumentariorum, vix dubito, illarum modum generationis ab eo, quem in descriptione figurarum lapidum frumentariorum adducam, differre: videntur enim etiam efflorescentiæ à materiâ subtiliore subjecti selenitis, & ad coagulationem lapideam subeundam

dam minùs aptà in ipsà petrificatione productæ, stellasque regulares efformantes propter æqualem materiæ efflorescentis motum, & aëris ambientis pressionem, nec non salium contentorum, (præsertim nitrosi) in libero aëre concrescentium naturam, ob quam sub formà stellularum figuntur & crystallisantur, ut apparet ex particulis nitri aërei intra nubes à frigore in nivem congelatis, & stellulas, aut rosas figurà suà præseferentibus: à quo non multùm differt opinio *Clarifs. & Rev. P. Sylvii Bocconi ord. Cysterc. & in indagandis rebus naturalibus viri indefessi in suo Mus. phys. pag.* 287. Stellas enim in superficie Astroitarum hærentes adscribit salibus corallinis, omnium corporum, quorum petrificatio ab iis potissimum dependet, internam substantiam per modum stellularum figentibus, quod observare licet in omnibus Coralliis, aliisque corporibus marinis ad ea accedentibus, & ad quorum productionem sal corallinum concurrit, quod mediantibus nubibus, aëre, vel subterraneis aquæ vaporibus in montes elevatur, & si cum aliquà materià ad petrificationem disposità commisceatur, cum illà in lapides stellularum figuris refertos, Astroitasque constituentes coagulatur.

Bocconus eas adscribit sali corallino.

Astroitæ aceto impositi non moventur, sed plures tantùm bullulas excitant propter acetum in poros lapidis sese insinuans, contentumque aërem expellens, qui in transitu suo per liquorem talem motum effervescentiæ alicujus liquoris haud absimilem causat.

Cur astroitæ aceto impositi bullas excitent.

Astroitis plures adscribuntur vires, an verò iis fidendum sit, experientia comprobare debet: eorum pulverem ad grana quatuor assumptum ad pestilens contagium, & vermes puerorum necandos commendant, gestatos ut nudum corpus tangant, generationem vermium impedire, à tremore, apoplexià, aliisque morbis subitaneis præservare, hepatis, & pulmonum vitia corrigere, sanguinemque puriorem reddere volunt, in cubiculo suspensos venenata animalia & araneas expellere credunt, de quorum veritate meritò dubitandum est. Albidiores censentur meliores, & qui bene formatas stellas habent, cæteri viliores sunt.

Astroitarum vires.

Quinam sint meliores.

Prædictus Author *loc. cit.* sibi imaginatur, Astroitas ob contentum salem corallinum, & tanquam corpora sub terrà calcinata easdem vires possidere cum margaritis, coralliis, oculis cancri, boli &c. Et ideo illos in colicà, fluxibus ventris, hæmorrhagià uteri, hæmorrhoidum, ac febribus malignis summà cum utilitate ægrorum exhiberi posse autumat.

Bocconus iis adscribit easdem vires, quas margaritæ, corallia &c. possident.

Afferuntur è Tyroli, & hinc inde in Helvetià colliguntur, in flumine Birsà prope Basileam plures reperiri dicit *Scheuz. lib. sæpius adducto.*

Locus.

Astroites Tubularis candidus prioribus mollior est, & figurà stellarum ac proprià structurà ab iis non parum discrepat: conflatus enim est è plurimis tubulis cylindraceis sibimet cohærentibus, corpusque cylindraceum ex utrâque parte convexum constituentibus, pars superior & inferior cujuslibet tubuli in stellulam sex lineis rectis sese in puncto centrali intersecantibus efformatam terminatur, ob quam structuram Milleporæ *Imperati*, vel alteri corpori marino tubulato & petrificato haud absimilis est. *Sylvius Boccon. eodem in loco* judicat, Astroitas tubulares esse Milleporas *Imperati* argillà, aut alià materià ad petrificationem aptà quoad omnia sua interstitia infarctas, & cum illà in lapidem versas, non minùs ac Stigmitas Reteporas *Imperati* esse credit plures nimirum sibimet impositas, & accedente materià

Astroitæ Tubularis descriptio.

Eorum generatio exponitur.

Stigmita-

rum generatio. rià terrestri, vel arenaceà in lapides plurimis minutissimis punctulis donatos concretas. Quo in loco hic lapis fuerit inventus, me latet.

Lapides Stellares Tab. 20. Lapis Stellaris major angulis obtusis. *Tab.* 20.

Lapis Stellaris minor angulis obtusis. *Tab.* 20. *Stumpfechte Sternstein.*

Lapides Stellares à figurà ita vocati, germanicè verò ad differentiam à prioribus *Sternstein* nuncupandi, substantiæ sunt seleniticæ, ejusdemque duritiei ac coloris, nisi à proprià matrice, vel loco ipso, in quo colliguntur, aliter tingantur. Stellam vel proprià figurà præseferunt, vel illam in utroque suo plano lineolis aut punctis descriptam exhibent, per quod à præcedentibus distinguuntur, quorum stellæ per omnem superficiem distribuuntur, & semper in majori quantitate adsunt, præsentium plana non nisi unicà stellulà occupante. Inveniuntur non nunquam, separati, frequentiùs autem in Entrochis Cylindraceis cohærentes, & articulatione inter se uniti, quæ fit, vel minimis crenis in quàlibet planorum circumferentiâ magis vel minùs conspicuis, vel ubi crenæ desunt, aut ad articulationem inhabiles probabiliter aliquo liquore glutinoso lapillos conglutinante, qui invicem commissi Entrochos, seu Columellas Cylindraceas in sua segmenta distinctas constituunt, nunc angulares, nunc rotundos, nunc stellarum adinstar in suos radios acutos vel obtusos divisas, aliquando in ambitu cavitatibus rectis versus partem inferiorem sensim sine sensu evanescentibus (quæ non ineptè *à Scheuz:* loculamentis, in quibus statuæ in architecturâ civili locari solent, assimilantur) aliquando transversis donatas: dantur quoque Entrochi Stellares, qui in parte superiore loculamentis, seu cavitatibus perpendicularibus donantur, iis autem circa medium lapidis evanescentibus pentagoni fiunt, & tandem in fine rotundantur, prout videre est in *Tab.* 20. *fig.* 1. & 2. *Entroch. Column. Lap. Stell.* Præterea Entrochi inter se differunt, quòd alii sint recti, alii incurvati, ut apparet in *Tab.* 20. *fig.* 1. & 2. *serie* 1. è particulari specierum descriptione res clariùs innotescet.

Entrochi cylindracei quid sint.

Et Columella cylindracea.

Earum descriptio.

Et differentia.

Entrochus Stellaris.

Tab. 20.

Primæ speciei descriptio. Prima Lapidum Stellarium species est major angulis obtusis, quæ à suo Entrocho Cylindraceo stellari radiato separata hucusque non fuit inventa. Lapis est coloris cinerei, & duritiei insignis, constat sex lapillis sibi invicem incumbentibus, & mediantibus minimis crenis non nisi ope microscopii visibilibus unitis. In internà planorum superficie descripta est stella è quinque radiis obtusis conflata, quos minimæ lineolæ transversæ secundùm circumferentiam radiorum positæ efformant; per medium cujuslibet radii linea recta à circello centrum stellæ occupante ad ejus extremitatem seu angulum usque porrigitur, integram autem stellam circumdat alia linea à singulo radiorum apice ad alterum protensa, & in interstitio radiorum introrsum reflexa. Radiis stellæ in plano exhibitæ adaptati sunt anguli & cavitates mediæ ipsius Entrochi, ita ut hic lapis proprià suà figurà ob eminentiam angulorum stellam internæ in planis descriptæ stellæ non adeò absimilem referat. In cavitatibus rectis intra angulos Entrochi sitis articulationes lapillorum simplicì tantùm lineà designantur, exceptà quàlibet tertiâ articulatione, quæ foramine magis profundo, oblongo, & quasi ad quadraturam accedente donatur, in eminentibus verò angulis sulculo transverso ovato distinguuntur.

Cavitates. Omnes istæ cavitates, foraminula, & eminentiæ totidem apophyses & rece-

receptacula tam ossiculorum, quàm musculorum & tendinum alicujus animalis fuisse videntur, quo non parum opinio eorum, qui hujusmodi lapides ad ossicula stellarum marinarum reducendos esse judicant, confirmatur. *foraminula &c. de notāt fuisse ossicula.*

Secunda species est Lapis Stellaris minor angulis obtusis. *Tab.* 20. quemadmodum prior lapis à suo Entrocho separatus hucusque non fuit repertus, sic hic lapillus semper solus occurrit, ita ut ipsius Entrochus à nemine, quantùm scio, hucusque observatus fuerit. Coloris & duritiei ejusdem est cum præcedente, & non minùs circumferentia in quinque angulos obtusos & eminentes divisa est, ob quam nomen Lapidis Stellaris meretur. Magnitudinem hujus figura *Tabulæ* 20. repræsentat, sicuti & prioris. Internæ faciei peripheriam pulcherrimus è minimis crenis visibilibus tamen conflatus Halo exornat, medium Cruce quasi Melitensi à lineolis à centro porrectis efformatà occupante. *Secundæ speciei descriptio.* Tab. 20.

Post hunc lapillum considerandi veniunt Entrochi Lapidum Stellarium minorum, quorum exhibentur tres sequentes species: *Species Entrochi Columnaris Lapidum Stellarium minorum.*

Entrochus Columnaris Lapidum Stellarium minorum sex loculamentis donatus. *Tab.* 20. *fig.* 1.

Entrochus Columnaris Lapidum Stellarium minorum quatuor loculamentis donatus. *Tab.* 20. *fig.* 2.

Entrochus Columnaris Lapidum Stellarium minorum incurvatus, & rotundus. *Tab.* 20. *fig.* 3. *Kleine Sternstein-Seuli.* kleine sternstein. seuli.

Isti lapides ad genus Lapidum Stellarium referuntur, quia figurà suà proximè ad illos accedunt, licet non omnes stellas referant. De his mentionem facit *Clarissimus Luid. in Class.* 6. *cap.* 17. *Ichnograph. Lytoph. Britann. VVagnerus in M.C.S.* eos Lapides Stellares fissiles vocat, & in nostro vulgari idiomate: *Runde Sternstein*, quos etiam *Scheuz. in suo specimine Lyth. Helv.* sub titulo: Asteriæ Columnaris Entrocho similis describit, & depingi curavit, sed cum prioribus tenui meo judicio (ignoscat tamen vir in reliquis tam accuratus) non confundi debuissent, qui ab iis tam figurà internà, quàm externà differunt, prout ex ipsismet figuris *loc. cit.* appositis patet. Tab. 20. *Varia istorum lapillorum nomina.*

Omnes hi Entrochi sex lapillis constant, & cum descripto lapillo materiâ, colore, & duritie conveniunt, magnitudine autem, quæ tamen quandoque variat, æquant icones in *Tab.* 20. expressas, cum quibus simul figurà internà, & externà conveniunt. Halonem in nullo detegere potui, sed bene alias figuras minimis punctis expressas. In primi Entrochi plano delineatur Crux quatuor lineolis transversis punctatim ductis, & sese in centro intersecantibus efformata. In secundi Entrochi plano figura tam obscura & confusa apparet, ut ad nihil certi reduci possit. In tertio seu incurvato clarè observatur stellula tribus lineolis rectis punctatim ductis, & sese in centro intersecantibus expressa. *Eorum descriptio.*

Lapis Stellaris major angulis acutis. *Tab.* 20. *fig.* 1. *Ein grosser Zugespizter Sternstein.* *Lapides Stellares maiores angulis acutis.*

Entrochus Lapidis Stellaris majoris angulis acutis. *Tab.* 20. *fig.* 2. *Ein Seuli Von grossen Zugespizten Sternsteinen.* Grosse zugespizte sternstein.

Hic lapillus similis est figurà Asteriæ minori eburneæ altiusculè ut plurimùm, & aculeatius radiatæ *Luid. loc. cit. Ichn. Lyth. Brit.* & describitur quo-

Eorum descriptio. Tab. 20.

quoque ab *Ans. Boet. in suagem. & lap. Histor. lib. 2. cap.* 148. *ex Gesnero*, à quo Sphragis Asteros appellatur. Colore & duritie cum prioribus convenit, magnitudinem & figuram autem repræsentat *Tab.* 20. quæ quinque est radiorum in angulos acutos desinentium, & cavitatibus mediis distinctorum; in planà lapilli superficie stellarium radiorum circumferentiâ levibus crenis utrinque ad ipsum stellæ centrum parvulo circello designatum exornatur, quo elegantissima stellula depingitur. Mediantibus prædictis crenis unus lapillus cum altero articulatur, sicque uniti Entrochum stellarem constituunt *fig.* 2. ejusdem *Tab.* exhibitum, & ex octo lapillis congestum.

Si Lapillus Stellaris separatus quoq; haberet in planà suà superficie rimas seu fissuras à circello centrali per medium cujuslibet radii extensas, aliarumque stellarum marinarum instar papillis minimis undique insignitus esset, cum Stellà marinà minimà Venetà prorsus conveniret, & nullum relinqueretur dubium, quòd non ad hanc stellarum speciem referendus esset.

Huiusmodi lapilli probabiliter ad ossicula stellarum marinarum reducendi sunt.

Lapides Stellares seu aliorum Asterias, cùm vertebris stellarum marinarum imprimis illius, quæ Retrograda vocatur, valde assimilentur, pluribus doctissimis viris, & de studio rerum naturalium summè meritis nimirum *Clarissimo Luidio*, & *Celeberrimo Listero* placuit, ad ossicula horum animalium marinorum lapidea reducere, hoc suadere videntur tot eminentiæ, cavitates internæ & externæ, foramina, sulci tam recti quàm transversi, tot articulationes, & omnium, quantum observare potui, interna centralis spongiosa aut pervia structura, ossibus ad recipiendam medullam communis, & propria. Ad quid enim tantus structuræ apparatus in lapide? nisi in osse ad recipiendos tendines, musculos, aut alia ossicula produci debuisset, & licet per anatomiam constet, hucusque in stellis marinis tam copiosa ossicula non fuisse detecta, quæ omnibus descriptis lapillis similia sint, tamen nemo negabit, plurima animalcula in immenso maris sinu foveri, quæ nullis Zoographorum oculis hucusque sese obvia præbuerunt. Prædicti viri suam opinionem magis confirmare conantur inventâ Asteriâ, seu Lapide Stellari costulis adhuc donato ab ipso *Celeberrimo Listero* etiam viso, & appendiculis, crenis stellæ tredecim radiorum dictæ interioribus prorsus similibus, ita ut eandem figuram, modulum, & easdem articulationes præseferant. Videatur *Epistola quarta ad Dom. Joan. Archer. med. D. de Asteriâ & Belemnite.*

Vires, & Locus.

Lapides Stellares virtutes easdem cum Trochitis possident, quos nunc describam. Colliguntur in monte Legerio & Randio.

Trochitæ Spange oder Rœderstein.

Post Lapides Stellares sequuntur Trochitæ, quorum species sunt:

Trochites major cinereus striatus præviis punctulis minimis circa foramen centrale circulum describentibus. *Tab.* 20. *serie* 1. *Ein grosser aschenfarber Spange-oder Rœderstein.*

Trochites minor cinereus tenuissimus striis longioribus. *Tab.* 20. *serie* 2.

Trochites minor cinereus tenuissimus striis præviis punctulis & lineolà tenuissimis. *Tab.* 20. *fig.* 1. *serie* 3.

Trochites minimus cinereus, & tenuissimus striarum loco punctulis donatus *Tab.* 20. *fig.* 2. *serie* 3. *Gar kleine und Zarthe Aschenfarbe Rœdersteinle.*

En-


20.
Trochites maior
Lapis stellaris maior angulis obtusis.
Entrochus maior
Entrochi Pyramidales non perforati Alueoli Luidio
1
2
3
Stella marina Minima Veneta.
Lapis stellaris maior angulis acutis
1
2
Trochites minor
Entrochi columnares stellarium minorum
1
2
3
Lapis stellaris minor angulis obtusis
Trochitæ minores Strijs tenuissimis
1
2
Capitula radiolorum Echin: petrificata
1
2
3
4
Astroites Stellis Maximis.
Coagulum lapideum.
aqueum la=
Lapis Percæ piscis.

Entrochus major cinereus amplo foramine centrali donatus ſtriis brevioribus, & è duodecim Trochitis conflatus. *Tab.* 20. *ſerie* 1. *Ein groſſes Aſchenfarbes Rœderſteinſeule.* *Entrochi* Rœder ſteinſeule Tab. 20.

Trochitæ à figurà rotæ ſeu tympani ita vocati germanicè: *Spangenſtein oder Rœderſtein* unà cum Entrochis, qui ſunt corpora cylindracea è pluribus Trochitis mediantibus ſuis ſtriis unitis conflata; deſcribuntur ab *Anſ. Boet. in ſuà gemmarum & lap. Hiſt. lib.* 2. *cap.* 227. *ab Olao VVormio autem in ſuo Muſ. pag.* 69. Trochitæ omnes figuræ ſunt orbicularis, & quoad partem ſuam externam læves, materià conſtant ſeleniticà, & albi, lutei, aut etiam cinerei coloris ſunt, magnitudine variant, &, ut ex *Tab.* 20. patet, in Entrochis nunc plures nunc pauciores conjuncti occurrunt: interna omnium Trochitarum plana in ſuo centro foramine totum corpus penetrante aliquando majore, aliquando minore donantur, per quod à reliquis hujuſmodi lapidum generibus differre videntur. Parvo à foramine intervallo exſurgunt ſtriæ ad extimam orbis partem protenſæ radiis alicujus rotæ valde analogæ, quæ in aliis longiores, in aliis verò breviores exiſtunt, & aliquando præviis minimis punctulis circa foramen centrale circulum deſcribentibus, non nunquam etiam prævià lineolà, à quà tunc ſtriæ incipiunt, & in peripheriam deſinunt; obſervantur quoque in minimis Trochitis loco ſtriarum ſolummodo punctula halonem deſcribentia, prout è figuris Tabulæ dictæ, & ex deſcriptione ſpecierum, quæ omnes magnitudine & formà cum figuris conveniunt, patet.

Trochitæ, eorumque Entrochi eàdem ratione, quà antea de Lapidibus Stellaribus ſeu Aſteriis dictum eſt, ad oſſicula ſtellarum marinarum à prædictis celeberrimis viris reducuntur, quod evincunt articulationes, & foramina Trochitas in ſuo centro penetrantia, aliaque hujus generis phænomena Trochitis propria. Vid. *Clar. Luid. epiſt.* 2. *de Encrino Lachmundi* (quem Entrochum eſſe non dubitat) *Ad Quiliel. Nicolſon Archid. Carleol.* ubi aſſerit, non majus eſſe diſcrimen inter Encrinum *Lachmundi*, & fragmentum cujuſdam ſtellæ marinæ radii, ac inter dentes piſcium, & Gloſſopetras, Bufonitaſque &c. *Trochitæ quoque ad oſſicula ſtellarum marinarũ lapidea reducendi videntur.* *Encrinus* Lachmũdi.

Quod ad eorum vires ſpectat, commendantur ad renum calculos, ſi triti in aquà appropriatà exhibeantur, difficultati urinæ medentur, & renum ac veſicæ calculos comminuere creduntur. Diſtingui ſolent in mares, & fœminas, hos veſicæ, illos verò utpote majores & longiores renum vitiis ſuccurrere volunt. Vid. *Muſ. VVorm. loc. cit.* *Eorum vires.*

Apud nos colliguntur in monte Randio & Legerio, item in ſylva Hercynià Bondorfii in magnà copià occurrunt. *Locus.*

Entrochos Cylindraceos ſequuntur Pyramidales, quorum ſpecies ſunt:

Entrochus Pyramidalis non perforatus major ſubcinereus incurvatus è ſeptem orbiculis, quorum pars interna ſuperior convexa, inferior verò concava exiſtit, conflatus. *Tab.* 20. *fig.* 1. *ſerie* 1. *Alveolus Luid.* *Entrochi Pyramidales.* Steine-ne Kœgeli. Tab. 20.

Entrochus Pyramidalis non perforatus mediocris ſubcinereus rectus è decẽ orbiculis, quorum pars interna ſuperior concava, inferior verò convexa exiſtit, conflatus. *Tab.* 20. *fig.* 2. *ſerie* 1.

Entrochus Pyramidalis non perforatus minimus ſubcinereus ventricoſus è tribus orbiculis, quorum interna pars utrinque plana eſt, circumferen-

tia verò crenata, conflatus. *Tab.* 20. *fig.* 3. *serie* 1. *Steinene Kœgeli*.

Istos lapides Entrochos Pyramidales germanicè: *Steinene Kœgeli* voco, eo quòd figurà suà orbiculari, articulatione, & materià ipsà Entrochis similes sint, licet nec perforati nec striis donati. Descripti primò sunt *à Luid. pag.* 86. sub nomine Alveolorum, & posteà *à Scheuz. in suo specim. Lith. Helv. pag.* 7. constant seleniticà materià, & sunt coloris subcinerei, magnitudine icones in *Tab.* 20. *serie* 1. expressas quartà parte superant: figura est pyramidalis è basi amplà semper magis pyramidum more superiora versus angustata, aliquando recta, aliquando incurvata, non nunquam ventricosa: orbiculi, è quibus Entrochi conflantur, & potissimum lineà transversà vel etiam quandoque crenis distinguuntur, è parte suà internà vel sunt concavi vel convexi, nisi in peripheriâ crenis donentur, quo in casu plani existunt. In articulatione orbiculorum concavum unius convexum alterius admittit, & sic in Entrochos uniuntur orbiculo superiore vertebrarum more semper minore existente illo, cui incumbit; à pluribus præsertim autem à præfatis viris ad ossicula stellarum marinarum lapidea referuntur ob rationes jam aliquoties assignatas. Vires easdem cum prioribus ob æqualitatem materiæ possidebunt, in iisdemque locis reperiuntur.

Tab. 20.

Referuntur quoque ad ossicula stellarum.

Vires.

Locus.

Lapillus Cylindraceus capitulum Radioli Echinitarum petrificatum referens major cinereus ventricosus. *Tab.* 20. *fig.* 1. *serie* 3.

Tab. 20.

Lapillus Cylindraceus capitulum Radioli Echinitarum petrificatum referens minor cinereus ventricosus. *Tab.* 20. *fig.* 2. *serie* 3.

Hi lapilli è selenite producti capitulis Radiolorum Echinitarum spinosorum, aut tuberosorum, quos *Aug. Scilla in suo lib. de corporibus marinis petrificatis Tab.* 6. *&* 24. depingi curavit, simillimi sunt: sunt enim sicut capitula Radiolorum ventricosi, inferiùs & superiùs foramine donati, quo ex unà parte cum papillà Echinitæ, ex alterà verò cum ipso Radiolo articulari possint. Differunt à Volvolà doliatà, seu cadiscum referente elegantiore: *Luid. n.* 1164., quòd halone prorsus destituti sint, & hucusque nunquam articulati, seu juncti inventi. Mole & figurà non discrepant ab icone *Tab.* 20. & more aliorum lapillorum seleniticorum subcinerei coloris sunt, earundemque sine dubio virium; reperiuntur in monte Legerio.

Volvola doliata.

Vires.

Locus.

Lapillus Cylindraceus pediculum Modioli Stellati referens major cinereus. *Tab.* 20. *fig.* 3. *serie* 3.

Lapilli Cylindracei sine ventre.

Lapillus Cylindraceus pediculum Modioli Stellati referens minor cinereus. *Tab.* 20. *fig.* 4. *serie* 3.

Tab. 20.

Lapillis Cylindraceis capitula Radiolorum Echinitarum spinosorum, aut tuberosorum petrificata referentibus, alios pediculum Modioli Stellati affabrè repræsentantes subjungo: conferantur figuræ *Tab.* 20. *num.* 3. *&* 4. *in serie* 3. cum figurâ pediculi Modioli Stellati *Tabulæ* 19. *fig.* 1. *in serie* 3. expressâ; ejusdem prorsus sunt formæ, læves tam quoad bases quàm figuram externam rotundam, per quod differunt à Lapillo Cylindrico *Scheuz*, cujus bases halone punctulato ornatæ sunt. Materiæ sunt seleniticæ, coloris cinerei, & ejusdem cum figuris magnitudinis. Colliguntur in monte Legerio.

Tab. 19.

Locus.

Modiolus Stellatus hexagonus cum pediculo. *Tab.* 19. *fig.* 1. *Ein Sexecketer nægelistein.*

Modioli Stellati.

Nægelinstein.

Mo-

Modiolus Stellatus pentagonus. *Tab. 19. fig. 2. Ein funffecketer nægelistein.* Tab. 19.
Modiolus Stellatus tetragonus *Scheuz. Spec. Lith. Helv. pag. 12. Ein Vierecketer nægelistein.*

Modioli Stellati *Luidio* ob similitudinem, quam habent cum Caryophyllis aromaticis *à VVagn. in Eph. Germ. anno tertio decad. 2. pag. 370.* Caryophylli lapidei, vel Caryophylloidæ vocantur, rusticis Schafhusianis: *Nægelistein oder steinene Esnægeli.* *Caryophylloidæ.*

Constant ex substantiâ seleniticâ, figuræ campanæ-formis, ejusdem magnitudinis, quam imagines sistunt. Basi seu parti magis expansæ insidet stellula centro excavato vel hexagona, vel pentagona vel etiam tetragona. In parte imâ & magis contractâ describitur circellus, in cujus centro quoque cavitas rotunda observatur, sine dubio, ut in eâ recipiatur pediculus lapideus in figurâ primâ delineatus, & cum Modiolo Stellato hexagono articulatus, qui cylindraceus est, versus articulationem aliquantulum crassior. Utrum hi lapides potius cum ossiculis stellarum marinarum lapideis conferendi sint, vel cum fructibus vegetabilium, iis decidendum relinquo, qui in uno & altero genere majorem cognitionem, & experientiam possident. *Ad quid referri debeant dubitatur.*

Extra Helvetiam hujusmodi lapilli admodum rari sunt, apud nos tamen in monte Randio & Legerio frequenter occurrunt. *Locus.*

Articulus Stellaris lapideus cinereus subrotundus quinis striis geminis æqualiter à se invicem dissitis à centro ad basin usque porrectis. *Tab. 19. serie ultimâ fig. 2. Ein rundes gliedmas-steinli.* *Articuli Stellares.* Gliedmas. steinli. Tab. 19.

Articulus Stellaris lapideus cinereus hexagonus senis striis simplicibus æqualiter à se invicem dissitis à centro ad basin usque porrectis. *Tab. 19. Serie ultimâ. fig. 3. Ein sexecketes gliedmassteinli.*

Articuli Stellares lapidei *Scheuz. fig. 17. pag. 9. spec. Lith. Helv.* Scyphoidæi Lapilli pedunculo carentes, hactenus, ut refert, ob eorum similitudinem cum oculis cancrorum Gammarolithi vocati, germanicè appellari poterunt *Gliedmassteinli*, in parte enim convexâ cavitate centrali donati sunt, à quâ tanquam suo centro striæ stellam formantes, & à se æqualiter dissitæ ad basin usque porriguntur, quæ structura attentiùs considerata articulum alicujus stellæ, vel alterius animalculi non ineptè præsefert, siquidem cavitas in centro sita ad aliud ossiculum excipiendum producta videtur, striis verò ad insertionem ligamenti pro ossiculo firmando necessarii appositis. Pars opposita plana quidem est, sed inæqualis & aspera, de cætero coloris sunt cinerei, unus rotundus, alter angularis, & magnitudine suâ icones non superant. Materiæ sunt seleniticæ, ac in monte Legerio inventi. *Scyphoidæus lapillus. Gãmarolitha quid. Eorum descriptio.*

Hammites, seu Ammonites cinereus. *Tab. 19. fig. 1. Ein aschenfarber Rogen- oder Ragenstein.* *Hammites seu Ammonites.*

Hammites seu Ammonites subluteus maculis rufis hinc inde imbutus. *Tab. 19. fig. 2. Ein roth lechter Rogen-oder Ragenstein.* Rogen-oder Ragenstein. Tab. 19. & 18.

Cenchrites subluteus. *Tab. 18. Ein Hirs-stein.*

Meconites albus. *Tab. 18. Ein magsamenstein.*

Isti quatuor lapides cum figurâ conveniunt; quilibet enim ex arenis majoribus subrotundis, aut sphæricis compositus est, ita ut ova piscium suâ

tunicà involuta, aut semina milii aut papaveris referant. Primus & secundus sunt lapides durissimi, cinerei, vel sublutei coloris hinc inde maculis rufis imbuti: constant ex arenulis minoribus sphæricis & subrotundis, sed tamen arctè unitis, & quasi tunicà involutis, ova piscium in suo ovario adhuc delitescentia admodum curiosè exhibentibus, quamobrem vulgò Hammitæ seu Ammonitæ nuncupantur: *Rogen-oder Ragenstein*. Differunt à sequentibus, quod silicis instar duri sint, & nullum granum ab alio separari queat, videanturque tenui, & transparente tunicà colligati, cùm econtra reliqui non adeò duri sint, & friabiles, ita ut grana facilè separari possint. Tertius luteus est, & ejus grana cum seminibus milii magnitudine ac colore conveniunt, propterea Latinis Cenchrites dicitur, Germanis: *Hirsstein*. Quartus lapis candidus est, & constat arenulis minoribus seminibus papaveris albi similibus, unde Meconites vocatur: *Magsamenstein*.

Hammitarum seu Ammonitarum descriptio.

Cenchritis descriptio.

Causam figuræ sphæricæ arenularum, è quibus hujusmodi lapides conflantur, conjicit *Imperat. lib.24. cap.27.* in continuum motum, quo arenæ ab aquà currente rotantur, & sensim sine sensu earum anguli atteruntur, ut demum rotundæ fiant, dein quoque vult, in subterraneis tales globulos formari ab exhalationibus sulphureis, & aluminosis in propriis mineris concrescentibus. *VVormius* verò multum tribuit figuræ loci, in quem humores subterranei lapidescentes incidunt, si enim fuerit sphæricus, lapides etiam tales efformari necesse est. Frequentiùs autem produci videntur à materià luti lapidescentis tenuiore per porbs luti in fixatione transsudante, & formam guttularum acquirente, quæ tandem unà cum substantià luti in duritiem lapideam coguntur.

Quomodo isti lapides generentur.

Lapillos hos sphæricos oculis immissos, & frequenti revolutione circumductos sordes attrahere Lapidis Chelidonii instar habetur ex *VVagnero lib. cit. pag.*304.

Vires.

Lapides isti in pluribus locis Helvetiæ colliguntur. Subalbidi in Præfecturà Sanensi Bernensium in monte dicto: Doronaz, dein in monte Jura. Rufi in Cinereis Montibus vulgò: die *Eschenberg* ejusdem ditionis. In Birsà flumine prope Basileam etiam inveniuntur, & in Rauricà valle (*Frickthal*) circa pagum *Tertznach*, nec non in Rusà propè Altorffium.

Locus.

Hujus generis agmen claudent Tesseræ Lusoriæ Badenses, quarum species sunt:

Tesseræ Lusoriæ lapideæ Badenses.

Tessera Lusoria Fossilis lapidea alba major. *Tab.* 51.
Tessera Lusoria Fossilis lapidea lutea mediocris. *Tab.*51.
Tessera Lusoria Fossilis lapidea nigricans minor. *Steinene VVurffell.*

Ad genus lapidum figuratorum petrificatorum figuræ regularis pertinent etiam Tesseræ Lusoriæ lapideæ *VVag. in Hist. nat. Helv. fol.* 329. germanicè: *Steinene VVurffel.* ubi ita describuntur: Lapilli hi cubici parvi, albicantes, numeris suis exactè distincti circa oppidum Badam in pratis, ac fossis mœniorum reperiuntur, quæ ibidem nonnunquam à talpis è terrà extruduntur. Mirum sanè naturæ sunt miraculum, si artem auxiliatricem non habuerint, soliusque naturæ soboles sint; quamvis & hæc Polydædalus sit artifex ubique mirabilis, ubique suspicienda, in magnis & vilibus. Œdipus is mihi erit, qui harum causas protulerit; & si uspiam, hic profectò locum habet illud:

Steinene vvurffel. Tab.51.

natu-

Salicites Helueticus niger foliolis candidis.



Lapis frumentarius Helueticus niger semina melonum, cumini cum cochlitulis albis referens.



Cenchrites.



Lapis frumentarius Helueticus cinereus semina melonum, anisi, fæniculi referens.

Meconites.



——————— natura certè
Multa tegit sacra involucra, nec ullis
Fas est scire quidem mortalibus omnia.

Hæc habet *cit. Clar. Author de* Tesseris Lusoriis lapideis, quæ Badæ extra portam, quæ ducit ad balnea, retrò castellum ex parte viæ sinistrà in spatio terræ quingentos passus longo, & ducentos lato effodiuntur, & quidem jam à plurimis annis, neque hodierno tempore tam raræ sunt, ut non quotidie à pueris colligantur, & exteris balneis utentibus pro mediocri pretio divendantur. Ultra sesquipedem terram non penetrant, imò frequentiùs occurrunt ad spithamæ altitudinem in eà delitescentes. Variæ sunt magnitudinis, ut ex figuris *Tab.* 51. patet, quibus tamen adhuc dimidio minores inveniuntur, colore quoque differunt; dantur enim albi, lutei, fusci, & nigricantes, omnes tamen sunt cubici, & punctis suis elegantissimè distinctis (exceptis paucissimis, in quorum uno aut altero plano numeri quandoque desunt) aliquando majoribus, aliquando minoribus, semper verò concavis. Utrum arte sint factæ, & studio extra Badam per hunc terræ tractum disseminatæ, vel ab ipsà naturà ludendi, artemque imitandi nonnunquam avidà productæ fuerint, nullus certò asserere audet: priorem opinionem dissuadere videtur tam longa annorum series, per quam hucusque ad multa millia fuerunt collectæ, impossibilitatem autem posterioris sententiæ tollit ipsa natura, quæ jam è materià lapideà plura corpora nobilitate structuræ, & ipso artificio figuram Tesserarum longè superantia produxit; quod magis judicium ad assensum hujus opinionis moratur, est, nulla imaginabilis causa numerorum in his lapillis cubicis debito ordine & situ distributorum, cui accedit, in pluribus adhuc observari fibras ossium, è quibus primò elaboratæ erant, quam tamen difficultatem ebur fossile in monte Legerio frequenter obvium, & quasi in suas fibras osseas distinctum eluderet. Tesserarum Fossilium usus medicus hucusque incognitus est, præterquam quòd ad lusum non minùs ac arte factæ quadrent.

Locus.

Tab. 51.

Dubitatur de earum causà productivà.

Tesserarũ lapidearũ usus.

GENUS II.

Lapides Figurati Petrificati figuræ Irregularis & incertæ, ad quid referri debeant.

QUemadmodum per figuras Regulares intelliguntur illæ, in quarum structurà aliqua symmetria deprehenditur, ita per Irregulares denotantur figuræ, in quibus nulla regularis proportio observatur.

Quid sint figuræ Irregulares.

Species hujus generis sunt:

Salicites Helveticus niger foliolis candidis. *Tab.* 18. *Ein Shvvartzer VVeidenbletterstein.*

Salicites. Ein schvvartzer VVeidenbletterstein.

Lapis Frumentarius Helveticus niger semina melonum, cumini cum Cochlitulis albis referens. *Tab.* 18.

Lapis Frumentarius Helveticus cinereus semina melonum, anisi, fœniculi & fructum Medicæ Polycarpos vel Cochlitulam compressam & umbilicatam referens. *Tab.* 18.

Lapis Frumentarius Helveticus maximus cinereus figuris longissimis.

Lapis Frumentarius Helveticus cinereus figuris lævibus, & rotundis latissimis, *Shvveitzerische Samenstein.*

Lapides Frumentarii.

Tab. 18.

Inter

Inter omnes lapides figuratos Helveticos Lapides Frumentarii tam artificio structuræ, quàm diversitate corporum, quæ continent, facile maximam merentur admirationem; si eorum figuras spectes, videntur debere inseri generi semina plantarum exhibenti: Sed cùm revera semina non sint, & tantùm figuræ irregulares, quæ obiter consideratæ apparentem solùm foliolorum aut seminum imaginem præseferunt; potius igitur ad genus lapidum figuræ irregularis pertinent. Nec obstat, quòd tam à Lithographis, quàm ab ipsis incolis lapides Frumentarii seu *Kumichstein* vocentur, Italis: *Pietra Frumentale seu Frumentaria*, cùm hæc denominatio tantùm ab eorum existendi modo derivet.

Salicites. Tab. 18. *Eius foliolorum causa.*

Salicites Helveticus niger lapis est figurà *Tab.* 18. triplo major, niger & durissimus, figuris candidis, angustis, & oblongis foliolis Salicis similibus donatus, quæ non aliter ac ipsæ venæ per lapidum substantiam vagantes producuntur à terrà magis exsiccatà luto lapidescenti, rimasque agenti immistà, quæ varias figuras efformat secundum diversas luti fissuras, in quas sese insinuat, & nunc magis nunc minùs substantiam lapidis penetrat, prout fissuræ seu rimæ luti magis vel minùs profundæ erant. Vid: *Clar: Kirch: mundi subterranei lib.8. pag.20.*

Cornu Ammonis minimum. seu Orbes serpentiformes.

In Salicite præter figuras candidas lapidi immersas, ac folia Salicis referentes observatur alia litterà *A* notata, quam *Scheuzerus* non incongruè Cornu Ammonis striato minimo assimilat; orbiculata enim est, intorta, & ejus orbes serpentum in modum in se convolvuntur, striisque transversis æqualiter distantibus donati sunt: dein coloris est cinerei, striis magis ad nigredinem vergentibus, & octo anfractuum, qui in æquali plano sunt positi, neque ad umbilicum aliquam cavitatem efformant, per quod à Cornubus Ammonis plurium anfractuum distingui posset, nec non, quod ex plano opposito, quo figura lapidi immersa est, tam orbes, quàm striæ prorsus obliterentur, & nil nisi figura orbicularis è fluore splendente coloris plumbei in superficie albicantis & seleniti haud absimili conflata compareat, imò figuræ serpentiformis in extremitate lapidis apparentis, & summà diligentià separatæ in subjecto selenite nullum aliud vestigium relinquitur, quàm puncta albicantia, ordinem anfractuum serpentiformium dispositione suà imitantia, quæ, quo magis lapidem penetrant, minora fiunt, donec tandem omnino deleantur, per quod etiam differt à figuris Lapidum Frumentariorum Suitensium & Tigurinorum, quos describit *Scheuz. in suo specim: Lith. Helv.* quorum tractus serpentiformes utrinque convexi sunt, & in duo æqualia sphæræ segmenta divisibiles, nec unquam in nostris Lapidibus Frumentariis adhibito etiam microscopio detegere potui, orbes serpentiformes per transversas lineolas colligari, sed tantùm observavi, striias & eminentias unicuique orbi proprias, quæ alteri non communicantur.

Lapidum Frumentariorum descriptio.

Lapides Frumentarii Helvetici tam niger quàm cinereus Saliciti magnitudine quidem similes sunt, & duritie, sed varietate & copià figurarum illum longè antecellunt; siquidem superficies integra horum lapidum variis figuris plena est, quę obiter consideratæ nunc semina melonum, vel anisi, aut fœniculi repræsentant, nunc folia Salicis oblonga referunt, aliquando verò Cornua Ammonis striata minima, vel etiam Cochlitulas umbilicatas, aut fructum Medicæ Polycarpos exhibent. De figuris folia salicis & Cornua

Ammo-

Ammonis minima referentibus superiùs dicta sufficiant, nunc figuræ per Lapides Frumentarios dispersæ, & semina melonum, aut herbarum umbelliferarum exhibentes considerandæ veniunt.

Quòd hæ figuræ non sint vera semina, sed tantùm corpora iis similia è præcedentibus patet, videntur autem conflari è simplici, vel pluribus folliculis hiantibus, & adapertis, oblongis, ovatis, vel triangularibus, & non rarò subrotundis sibi invicem superpositis seu suprainductis, quorum centrum occupat granulum prædictis folliculis inhærens, & puncti centralis vicem gerens. Si plures folliculi ad constituendam figuram concurrant, vel magis dilatati in superficie hæreant, figuram seminibus frigidis majoribus assimilant, si verò simplex tantùm folliculus appareat, vel duo minores, & angusti cum granulo striato incluso semina carvi, anisi, &c. præseferunt. Omnes isti folliculi vel sunt læves, vel striati, aliquando undulati, & non nunquam solà fimbrià crenatà donati, neque ejusdem semper sunt coloris, plerumque tamen sunt albicantes, & lutei, vel etiam lividi, magnitudine quoque quàm maximè differunt, deprehenduntur enim inter minores jam adductos rotundi, diametro suo pollicem cum dimidio æquantes & longi spithamam superantes, uno verbo, quo major est figura, eò plures folliculi ad eam efformandam applicantur, & secundum istarum dispositionem magis vel minùs æqualem etiam ipsamet figurarum superficies variat, ut una detur plana, altera convexa, alia concava. Abrasis figuris frumentariis, iisque similibus apparet non minùs, ac in orbibus serpentiformibus fluor seleniticus lividus punctis albis folliculorum figuram serie suà describentibus insignitus, quæ circa medietatem fluoris evanescunt.

Variarum figurarum in iis hærentium descriptio

Nisi prædictæ figuræ irregulares sæpius tam magnæ fierent, & è pluribus folliculis sibi invicem suprainductis conflarentur, credidissem, esse ova testaceorum marinorum conglomerata, & in lapideam substantiam versa, in ipsà verò petrificatione compressa, disrupta, ac aperta, quam ob causam in lapide hiantia deprehenderentur.

Præter enumeratas figuras deteguntur in Lapidum Frumentariorum superficie Cochlitulæ minimæ umbilicatæ cum Conchitulis commixtæ, & Belemnitæ exigui acutissimi papillis minimis subluteis & non nisi ope microscopii visibilibus hinc inde consperſi, quæ figuræ omnes ex eodem fluore seleniticolivido constant.

Cochlitulæ & Belemnitæ exigui in Lapidibus Frumētariis apparentes.

Ex his colligere licet, figuras in superficie Lapidum Frumentariorum occurrentes, vel imagines corporum naturalium marinorum repræsentare, licet rarò integras, vel tantùm figuras partim regulares, partim irregulares cum nullo alio corpore naturali nec structurà suà nec formà convenientes, primas à vi plasticà seminis illius corporis marini, quod exhibetur, productas fuisse, vix dubitandum puto, quod in ultimà parte pluribus exponam. Hujusmodi figuras verò rarò integras observari, ratio in promptu est, quia aër frigidus, quo summæ alpes, in quibus hi lapides colliguntur, continuò perflantur, vim spiritùs seminalis supprimit, ut sese debitè expandere nequeat, & consequenter neque inchoatum opus perficere, ad quod accedit in hujusmodi alpibus lutum ad recipiendas formas minùs esse proportionatum, tam ob non parvam substantiæ ἀνομοιομερῆν, quàm ejus ab ambiente frigido nimis citam fixationem.

Reli-

Causa figurarum nulla corpora naturalia referentium.

Reliquæ figuræ tam regulares, quàm irregulares nulla corpora naturalia referentes à materiâ subtiliore sulphureâ in coagulatione fluoris selenitici efflorescente, & ab aëre ambiente fixatâ ortum suum trahere videntur, quod manifestant puncta albicantia in fluore relicta, & ipsam figuram in superficie Selenitis hærentem serie suâ describentia, viasque designantia, per quas materia subtilior & ad coagulationem minùs apta in fixatione fluoris urgebatur, in cujus superficie interiore & lapidem ipsum respiciente, eique inclusa nulla deprehenditur efflorescentia, quia impulsus materiæ versus illam partem fieri solet, ubi minus obstaculum occurrit, nimirum in eâ, quæ exposita est aëri libero faciliter unicuique motui cedenti: neque mirandum est, etiamsi figuræ serpentiformes, vel semina referentes sibi plerumque similes, & quandoque etiam regulares existant, nam fluor seleniticus ex omni parte à materiâ fixatâ & contractâ æqualiter pressus substantiam subtiliorem æquali quoque modo urgere debuit, & consequenter figuram regularem vel saltem æqualem describere, nunc lævem, aliâ vice striatam, prout nimirum efflorescentia materiæ ex omni parte in eâdem vel diversâ quantitate expulsa fuerit, vel ab ipso aëre ambiente in suo motu magis vel minùs impedita.

Duplex materia in qualibet petrificatione datur.

His confirmatur id, quod superiùs jam in parte primâ dictum est, quòd nimirum plerumque in quâlibet concretione lapideâ duplex detur materia, quarum una ad induendam substantiam lapideam magis sit proportionata quàm altera. Minus proportionata est vel nimis tenuis aut sulphurea, vel nimis crassa & terrestris, ex hàc quodammodo confluente & hinc inde per substantiam lapidis præcipitatâ oriuntur eorum venæ, è priori autem diversæ efflorescentiæ tam crystallinæ quàm seleniticæ ad centrum lapidis vel peripheriam propulsæ, aut armaturæ variæ secundum variam sulphuris dispositionem.

Lapidum Frumentariorũ loca nativa.

In pluribus alpibus Helvetiæ Lapides Frumentarii occurrunt, Suitensibus, Glaronensibus, Subsylvanis, Uranienſibus, & Monasterii Montis Angelorum, monte Pileato, ubi Septentrionem versus ampli montis tractus Lapidibus Frumentariis undique referti sunt, quandoque etiam à torrentibus in subjecta flumina deportantur.

Alcyonium tuberosum majus cinereum in basi cavitate donatum. *Tab. 19. fig.* 1.

Alcyonia vulgò Feigenstein. Tab. 19.

Alcyonium majus cinereum oblongum & acuminatum punctis quadratis Corallitæ Reticulati instar insignitum, & in basi profundâ atque latâ cavitate donatum. *Tab. 19. fig.* 2.

Alcyonium cinereum bifurcatum punctis quadratis Corallitæ Reticulati instar insignitum, & in basi tuberosâ cavitate donatum. *Tab. 19. fig.* 3.

Alcyonium minus cinereum pediculo insidens, & in basi tuberosâ ac striatâ cavitate donatum. *Tab. 19. fig.* 4. *Feigenstein.*

Quid sint Alcyonia eorumque generandi modus. Cur ita vocentur.

Per Alcyonia intelliguntur corpora lapidea, quæ à spumâ maris tenuissimis sordibus imbutâ mediante sale marino, & accedente succo lapidifico in ipso maris sinu in substantiam lapideam concrescunt, nomen autem hoc trahunt ab avibus, quæ Halcyones à Græcis, & à Latinis Alcedones vocantur, quia ex iis mari innatantibus nidos suos exstruunt. Alcyonii duo sunt genera, unum mollius, quod vegetabilem habet consistentiam, aliud du-

durius & lapideum cum Poro lapide magnam affinitatem habens, de quo nunc sermo fit, hoc iterum vel ramosum, vel globosum est, ad illud Corallia & Corallitæ referuntur, ad hoc verò Veteres quinque alia Alcyonii genera reduxerunt. Primum figurà spongiæ spissum, & grave est. Secundum figurà longiusculà foraminibus plenum, leve, & odore Algæ. Tertium ad vermiculi figuram accedit, & Purpuræ colorem, quod Milesium vocatur. Quartum leve, & pinguedine sordidis foraminibus plenum. Quintum demum fungo simile est, intus asperum, & pumicem refert.

Eorum differētia.

Alcyonii Milesium.

Alcyonii hìc describuntur quatuor species, quæ à *Scheuz*: ob figuram ficùs Ficoides, & *à VVagn: in M. S. C.* Caricoides vulgò: *Feigenstein* appellantur. Utrum præsentes Alcyonii species non etiam ad Fungitas referri possent, dubito, nam aliquas Fungi σπερματίας calicularis species *Bocconi pag.*301. expressas ad amussim præseferunt.

Alcyoniorum descriptio.

Magnitudine & formà cum figuris *Tabulæ 19.* conveniunt, ut ulteriore descriptione non indigeant: reperiuntur in monte Legerio, & Randio diversæ magnitudinis & figuræ.

Tab. 19. *Locus.*

Coagulum aqueum lapideum. *VVasser, so zum Stein vvorden.*

Coagulum aqueum lapideum. VVasser, sozū steī vvorden.

Huic tertiæ Classi corpora petrificata complectenti finem imponet Coagulum aqueum lapideum, simplicissima omnium petrificatio, cujus etiam mentionem facit *VVormius mus. fol.*52., etenim concrescit ex purà aquà arenulis minimis, & invisibilibus, vel ramentis lapideis impregnata, quæ cum aquà decurrentes mediante admixto liquore viscido & ramoso paulatim alicui loco declivi adhærent, quibus sensim plures subsequentes sese associant, & agglutinantur, ut sic ejusmodi Coagula aquea lapidea aquam leviter & quasi guttatim cadentem præseferentia producant. Magnitudine & figurà multùm discrepant, plerumque tamen oblonga sunt, quorum interior seu sessilis pars, quæ nimirum loco declivi applicata erat, ab ipsà loci superficie formam suam acquirit, externà, cui ramenta adhærebant, lævi & inæquali nunc magis nunc minùs crassà axungiæ in candelis hærenti fusæ & iterum coagulatę haud absimili efformatà.

Et descriptio.

Nostra Coagula aquea coloris sunt cinerei, opaca, & satis dura, circa ripam Rheni non procul Rheinfeldà copiosè reperiuntur. Appendicis loco sit Rapa in lignum mutata. *Ein hœlzerne Ruben.*

Locus nativus.

Rapa lignea. Ein Hœlzerne Ruben.

Hanc inveni in vinetis proximi montis circa VValdshuetium è parte Soli meridionali expositā, quæ prorsus lignea erat, omni humiditate exhaustà, ita ut nec pars foliorum Rapæ infima adhuc inhærens exciperetur. Mirabilis sanè effectus & tenui meo judicio radiis solaribus potissimum adscribēdus, qui extracto prius omni succo Rapæ eam à putredine liberarunt, & postea omnimodè exsiccatam in substantiam ligneam converterunt: nam verosimile videtur, omnium hujusmodi majorum radicum fibras ligneas esse, earumque substantiam ligneam solùm à nimiā humiditate admixtā, & teneris utriculis eam retinentibus, fibrasque ligneas ambientibus occultari.

Generationis modus.

LIBER QUARTUS.

IN QUO DESCRIBITUR CLASSIS QUARTA COMPLECTENS LAPIDES FIGURATOS INTORTOS, QUORUM ORBES SERPENTUM IN MODUM IN SE CONVOLVUNTUR, ET AMMONIS CORNUA VOCANTUR, AD QUAM CLASSEM QUOQUE REFERENDI SUNT NAUTILITÆ OB EUNDEM CIRCUMVOLUTIONIS MODUM.

POstquam Lapides Figuratos tradidimus, quorum plerique ad corpora naturalia terrestria referuntur, ii enarrandi sunt, qui communiter ab omnibus ad corpora marina, quæ figurà suà præseferunt, reducuntur, inter hos primò occurrunt utpote magis frequentes, & tam varietate figurarum, quàm structuræ artificio reliquos omnes facilè superantes Ammonis Cornua dicti, de quibus sit

CAPUT PRIMUM.

Ammonis Cornua quid sint.

Ammonis Cornua quid sint. Eorum nota Characteristica.

AMmonis Cornua sunt Lapides Figurati Intorti, & ita serpentum in modum convoluti, ut eorum orbes nullà ex parte producantur, & in hàc figuræ ratione eorum Nota Characteristica consistit.

Cur vocẽtur Cornua Ammonis.

Quòd hic lapis jam antiquissimis temporibus fuerit cognitus habetur ex *Plinio lib.*31.*cap.*10. illum inter gemmas referente sequentibus verbis: Hammonis Cornu inter sacratissimas Æthiopiæ gemmas aureo colore arietini cornu effigiem reddens. Promittitur prædivina somnia repræsentare. Solet ferreo armari hoc cornu colore, qui aluminis succo accedente in æreum, vel aureum facilè mutatur, quemadmodum ferro ipsi facilè contingit. Vocatur Cornu, quia ad modum alicujus Cornu Arietini convolutus est, & Ammonis, vel quòd in solo arenoso circa templum Jovi Ammoni à Bacho in gratiarum actionem ob inventum ductu arietis, quem Jovem fuisse existimaverat, in Lybià fontem sumptuosè exstructum occurrat, prout legitur in *Polyhist. Jul. Solini cap.* 27. Illic (ad Templum Hammonis) lapis legitur, Hammonis vocant Cornum, nam ita tortuosus, & inflexus, ut effigiem reddat Cornu Arietini, fulgore aureo est, prædivina somnia repræsentare dicitur subjectus capiti incubantium. Vel ut Inventores hujus lapidis, quem inter gemmas collocarunt, & cui fortè quamplurimas alias virtutes, licet fabulosas, malè credula gentilitas adscripsit, divinas quasi vires impositione divini alicujus nominis magis propalarent, & hominum imaginationi imprimerent. Vel demum etiam ipso cultu erga Jovem Ammonem ducti pretiosum hunc lapidem nomine Jovis Ammonis vocarunt, ut ejus nomen ultra dilatarent, & immortale redderent, non secus ac plures Botanistæ hujus & præteriti sæculi herbas nomine Sanctorum, vel optimo-

Eorum vires secundum Veteres.

timorum suorum Mecenatum ad contestandum internum venerationis suæ affectum appellarunt. Qui plura de Etymologià hujus nominis desiderat consulat *Exercit. Histor. Physic. de Cornu Hammonis cap.* 1. *Joan. Reiskii*, ubi prolixè de eà tractatur. Germanicè dicitur: *Scherhorn oder Zieherhorn.*

Differentiæ Cornuum Ammonis quoad faciem externam, eorumque figuras, & anfractus è subsequente generum & specierum enumeratione patebit, structuram verò internam quod attinet, hæc tam varia & mira est, ut vix quidquam in universà rerum naturalium serie (si viventia excipias) occurrat, quod majorem alicujus Philosophi attentionem mereatur. *Mira eorũ structura interna.*

Potior Cornuum Ammonis pars è Spondylolithis, seu Vertebris lapideis summo artificio inter se articulatis constat, alia Spondylolitharum loco internis concamerationibus, seu loculamentis undique spiculis crystallinis obductis, & per septa undatim incurvata distinctis donantur, quæ ablato superiore laqueari intuentibus jucundum præbent spectaculum, non pauca è lapide silicis instar duro, & per totum sui tractum æquali conflantur, qui sæpius ob duritiem suam ad pyritem accedere videtur, nonnunquam occurrunt substantiæ ad modum lapidis Bononiensis è fibris seleniticis à puncto quasi centrali exortis, & ad peripheriam usque porrectis elaboratę, quandoque etiam, sed raris vicibus, deprehenduntur Cornua Ammonis, quorum substantiam internam occupant meri lapilli figurati, quod tamen potius monstrosum quàm naturale pronuntiarem. *Potior eorum pars è Spondylolithis inter se articulis constat. Alia cõcamerationibus donantur. Plura è simplici lapide conflantur.*

CAPUT SECUNDUM.

Structura interna Cornuum Ammonis exponitur, quæ è Spondylolithis diversi generis inter se articulatis constat.

UT admiranda hæc & tam varia Cornuum Ammonis interna structura eò clariùs innotescat, expositioni cujuslibet ejusdem differentiæ paulisper inhærebimus, incipiendo à descriptione Spondylolitharum seu Vertebrarum lapidearum, de quibus in Comitatu Tyrolensi repertis nonnulla etiam tradit *Hier. Velschius Eph. Germ. art.* 1. *obs.* 157.

Spondylolithæ seorsim seu separati considerari possunt, vel conjuncti; Spondylolithæ separatim, seu seorsim considerati ob plurimas suas protuberantias, & apophyses, varias cavitates, sulcos, & fissuras regulari ordine sitas, & ex utroque latere pares, nec non etiam propter eorum usum, quæ est articulatio mutua, vertebris spinam animalium constituentibus prorsùs similes sunt, unico excepto, quòd nimirum cavitate internà destituti sint pro transitu medullæ spinalis, quæ cavitas aliàs omnibus reliquis vertebris propria est. *Spondylolitha vertebris animalium similes sunt.*

Spondylolithæ commodè in tria genera dividi possunt. Primum continet Spondylolithas subrotundos, & Cornua Ammonis spinà subrotundà constituentes. Secundum complectitur non nihil compressos, & in extremitate suà superiore apophysi longà non nihil incurvatà, & extra proprium corpus valde productà, rostrum corvinum non ineptè referente, donatos, è *Dividuntur in tria genera.*

quibus Cornua Ammonis ſpinà inter duos ſulcos eminente conflantur. Tertium denique eos includit, qui Ovati ſunt, aut valde compreſſi, & in extremitate ſuà acuminati, protuberantiiſque magis teneris inſtructi, atque inter ſe uniti Cornua Ammonis ſpinà acutà, vel eminente componunt.

Spondylolithæ primi generis aſſimilantur vertebris ſerpentum vel anguillarum. Tab. 21.

Spondylolitharum primi generis mentionem quoque facit *VVormius in ſuo præclaro muſeo ſæpius jam citato pag. 86.* illoſque aſſimilat vertebris ſerpentum ſeu Anguillarum, niſi quòd à caudà in caput uſque craſſitie, & magnitudine ſenſim creſcant, & duos conjunctos depictos exhibet. Noſtros ſiſtit *Tabula* 21. primò ſeparatos, dein unitos: Separatorum facies interna *num.* 2. indicata reſpicit principium Cornuum Ammonis, altera verò *num.* 1. caudam ſeu eorum finem, quamobrem hanc poſteriorem Spondylolithæ internam faciem, illam autem anteriorem vocabimus.

Deſcriptio internarũ facierum Spondylolitharũ primi generis.

Poſterior Spondylolitharum interna facies ſex majoribus protuberantiis aut apophyſibus donata eſt, & totidem minoribus. Majorum una utrinque minore ſtipata ſuperiorem, alia verò, ſub quà magna fiſſura eſt, inferiorem extremitatem occupat. Reliquæ quatuor ad latera utrinque duæ intermediis ſemper duabus minoribus locatæ ſunt. Majores omnes obliquè aſſurgunt, donec extremitate ſuà peripheriæ æquales ſint, ad quam minores tranſverſim, & horizontaliter producuntur, ſine dubio, ne cavitates ab aſſurgentibus apophyſibus efformatas impleant, & conſequenter aditum prohibeant protuberantiis ſubſequentis Spondylolithæ, ſicque articulationem mutuam impediant, quæ *in figurà conjunctorum ejuſdem Tabulæ* repræſentatur. In anteriore Spondylolithæ ſubrotundi internà facie quoque ſex obſervantur majores apophyſes, ſeu proceſſus, quarum duæ laterales infimæ bifurcantur, cavitatem oblongam inter ſe relinquentes ad recipiendam infimam antecedentis Spondylolithæ apophyſin. Duæ aliæ majores protuberantiæ ſitæ ſunt in ſupremà faciei parte, maximæ autem & laterales non nihil compreſſæ medium tenent locum. Minorum tantùm quatuor apparent veſtigia utrinque duo ad latera intra ſuperiores & maximas apophyſes prominentia, de reliquo cum prioribus conveniunt.

Deſcriptio Spondylolitharũ ſubrotundorũ inter ſe articulatorũ. Tab. 21.

Spondylolithæ Subrotundi hactenus ſeorſim deſcripti inter ſe articulati, & conjuncti figuram efformant ſimilem illi, quæ *in Tab.* 21. repræſentatur, in quà primò notandum eſt, Apophyſes Spondylolitharum ad extremitatem lapidis ſeu ſuperficiem Cornuum Ammonis pertingentes ſemper magis dilatari, & ſolùm horizontaliter in plures ramos diſtribui, ac accreſcere. 2. Circumferentias omnes tam apophyſium dilatatarum, quàm earum ramuſculorum per extimam Ammonis Cornu peripheriam diſtributorum undique pulcherrimis laciniis exornari, ſimilibus iis, quę in extremitatibus oſſium cranii alicujus fœtus nondum cohærentium & adhuc imperfectorum obſervantur. 3. Apophyſes anterioris Spondylolithæ majores verſus minores ſubſequentis apophyſes dirigi, & è contrà.

Cauſa figurarum foliacearũ in ſuperficie Cornuũ Ammonis apparentiũ

Ex his notatis colligere licet primò: Figuras foliaceas in ſuperficie Cornuum Ammonis frequenter apparentes produci à ramificationibus apophyſium ſeu proceſſuum Spondylolitharum per eam diffuſis. Secundò: Cauſam, cur hæ figuræ foliaceæ aliquando ſint confuſæ, & omni ſymmetrià privatæ, uti videre eſt *in figurà infimà ejuſdem Tabulæ* eſſe Apophyſium Spondylolitharum tam quoad numerum, quàm ſitum & magnitudinem inæ-

Spondylolithæ ſeu Vertebræ.

1. Cornuum Amonis. 2.



4





Coniuncti.



3.

Iuncturà Foliaceà.



inæqualitatem, quà eorum ramificatio regularis impeditur, si verò Apophyses fuerint æquales numero, magnitudine & situ, ramificationes etiam erunt inter se proportionatæ & consequenter ipsæ figuræ foliaceæ, quæ ab his dependent, nisi ab aliquà causà externà earum propagatio regularis prohibita fuerit. *Vid. ejusdem Tab. fig.* 4.

Cur hæ figuræ sæpius observẽtur confusæ & sine symmetriâ.

Præter dicta duo corollaria sequentes insuper conjecturæ, licet valde dubiæ, innui videntur. Prima est: Spondylolithas Subrotundos non tantùm figurà & apophysibus suis ossibus seu vertebris animalium assimilari, sed etiam ossium instar crescere, hàc solùm differentià, quòd in illis fibræ elongatæ non appareant propter substantiam magis densam & terrestrem. Fundamentum hujus conjecturæ sunt laciniæ ramificationum extremitates exornantes, & eodem modo dispositæ, ac deprehenduntur in ossium nondum cohærentium, & adhuc imperfectorum marginibus. Ex hàc sequitur alia, quæ

Tab. 21.

Spõdylolithæ ossium instar crescunt.

Secunda est: Hujusmodi lapides (supposito, quòd in terrà generentur) ab eàdem causà intrinsecà produci, & quoad figuram suam eodem modo dirigi, à quà ossa illis similia, in mari v. g., si ad illud pertineant, generantur.

Et ab eodẽ principio intrinseco incremẽtũ suum sumunt.

Tertia. Vim plasticam hujus causæ intrinsecæ, seu spermaticæ plerumque terminum sibi à naturà præfixum nec in Spondylolithis, nec in Cornubus Ammonis complere, indicantibus hoc præfatis laciniis imperfectum opus denotantibus, & ipso Cornuum Ammonis principio, quod semper est aut Spondylolithes apophysibus suis instructus, aut rudis lapis nullà prorsus formà in internà suà facie donatus. Hoc autem provenit vel propter defectum materiæ, vel ejus improportionatam dispositionem.

Quarta. Amplas Apophysium dilatationes, & præter modum elongatas ramificationes probabiliter dependere à vi plasticà ipsius causæ intrinsecæ post inductam naturalem Spondylolitharum formam nondum quiescente, & loco aliarum partium, quas instinctu naturæ producere deberet, sed ob materiæ discrepantiam nequit, in ramosas hasce propagationes erumpente & sese diffundente.

Causa Apophysiũ productionis & ramificationis.

Quinta. Strias in superficie Cornuum Ammonis apparentes produci in primordiis eorum generationis, & materià adhuc liquidà existente à mutuo foliacearum ramificationum sibi oppositarum congressu, quo materia in majori copià & non absque impulsu quodam congesta per modum alicujus striæ elevatur, ac figitur, aliquando integræ, aliquando divisæ, vel etiam tuberculis insignitæ, prout materia in majori vel minori copià colligitur, vel ipse congressus majore vel minore vi ac nisu peragitur.

Causa striarum quandoq; apparentiũ Et turberculorum.

Sextà. Ramificationes foliaceas etiam in Cornubus Ammonis striatis apparentes probabiliter oriri à materià subtiliore, & formatis jam striis nondum omnino induratà, sed à vi plasticà seminis denuò ulterius propulsà.

Causa figurarum foliacearũ in Cornub. striatis.

Spondylolithæ nostri Subrotundi subcinerei sunt coloris, & figuras in *Tabula* 21. expressas mole suà semel superant, duritiei non adeo insignis sunt, & ex lapide calcario videntur conflati.

Tab. 21.

Spondylolithæ Subrotundi in montibus sitis ad Arolam prope *Boetstein* & *Luggeren* nec non in monte Randio occurrunt.

Locus.

Spondylolithæ secundi generis, & Cornua Ammonis Spinà inter duos sulcos

Descriptio

Spondylolitharũ secundi generis seu Coracoidæorum.

sulcos eminente constituentes (quos ob apophysin suam rostrum corvinum referentem Coracoidæos voco) post subrotundos magis sunt frequentes, majoremque numerum Cornuum Ammonis componunt. In supremà suà extremitate, quæ spina dicitur, donantur apophysi seu processu magno horizontaliter & secundum spinam sito, acuminato, & utrinque ad latera sulcato, qui à facie posteriore extra corpus ipsius Spondylolithæ non parum producitur, rostrique corvini instar incurvatur.

Altera verò Spondylolitharum Coracoidæorum extremitas fissurà magnà seu cavitate oblongà & acuminatà nec non circa exortum prædicti processùs bifidà donatur, in quà recipitur rostrum Coracoidæum anterioris Spondylolithæ unà cum duabus annexis laminis apophysium seu protuberantiarum dilatatarum. *Vid. Tab.* 21. *fig.* 3. Præter dictam apophysin Spondylolithæ Coracoidæi nullas alias veras apophyses seu processus quasi adnatos, sicuti in prioribus observantur, habent, sed solummodo quosdam tumores seu protuberantias leviores, in facie posteriore quidem duas, & unicam in anteriore, hæc in medio sita est, utrinque stipata satis amplà cavitate, ad recipiendas protuberantias oppositæ faciei, quarum una statim sub spinà, altera verò in parte infimà locata est, quibus præcipuis seu majoribus protuberantiis, & cavitatibus adjunctæ sunt minores, ut eò firmius Spondylolithæ inter se articulari & uniri possint. *Vid. Tab.* 22. *fig. junctura foliceà contracta*. Protuberantiæ prædictæ ad superficiem Spondylolithæ elevatæ dilatantur non in ramos, uti præcedentes, sed in laminas ipsi peripheriæ horizontales, quarum integra circumferentia non minùs ac ipsius processus Coracoidæi nunc in profundas nunc in minùs profundas lacinias abit. *Vid. Tab.* 21. *fig.* 3. *& sequentem figur. citat.* Laminæ istæ hoc modo laciniatæ non ineptè nubeculis divulsis assimiliari queunt, quarum extremitates simul unitæ & cohærentes in Cornubus Ammonis pulcherrimum opus foliaceum folia Petroselini, vel alicujus Myrrhidis perquam eleganter referens efformant. *Vid. Tab.* 24. *fig.* 1. nam Spondylolitharum Coracoidæorum protuberantiæ in ramos nunquam dividuntur, aut elongantur, sed tantùm in hujusmodi foliola magis contracta erumpunt.

Tab. 21. Tab. 22. Tab. 21. Tab. 24.

Spondylolithæ Coracoidæi sunt magnitudinis ac figuræ in *Tabulis* expressæ, subcinerei coloris, eorumque substantia ad lapidem calcarium proximè accedit. In reliquis cum prioribus conveniunt, & in iisdem locis quoque occurrunt.

Spondylolithæ Ovati seu Compressi.

Post Spondylolithas Coracoidæos describendi sunt Ovati, & in extremitate suà superiore seu spinà quasi acuminati, qui tertium Spondylolitharum genus constituunt, & tenerioribus apophysibus instruuntur, atque inter se conjuncti Cornua Ammonis spinà acutà, vel eminente efficiunt. Rarissimi sunt hujusmodi lapilli, & nisi arte à Cornubus Ammonis separentur, vix inveniuntur, plerumque mole minores sunt Spondylolithis primi & secundi generis, imò quandoque minimi occurrunt, siquidem etiam minima Cornua Ammonis ex iis componuntur. Noster magnitudine figuram 1. *in Tab.* 22. *serie vltimà* expressam æquat, qui in medio faciei suæ internæ anterioris protuberantiam habet satis notabilem tam versus partem superiorem, quàm inferiorem in levem cavitatem abeuntem, à lateribus verò in quosdam ramusculos seu minores processus ad lapilli peripheriam usque

Tab. 22.

usque porrectos, ac inter se spatiola leviter cava relinquentes dispertitam. Cavitatem superiorem excipit alia sed minor protuberantia in quatuor ramos seu apophyses versus spinam directos divisa, quibus tres minores cavernulæ efformantur, quarum media & ipsam spinam occupans amplior & profundior est; inferior cavitas autem abit in duos ramusculos elatiores, seu minores apophyses, qui in suo exortu foramen subrotundum efformant & ad extremitatem inferiorem usque protenduntur, ubi duos angulos acutos utrinque unum, & inter se fissuram triangularem, quæ omnibus spondylolithis in inferiore parte ad recipiendas interiores Cornuum Ammonis orbes, (prout supra iam dictum est) communis est, efformant, pluresque ramusculos seu minimos processus per totum suum tractum ex utroque latere diffundunt. *Vide fig. super. cit.* Opposita Spondylolithæ facies quoad situm cavitatum, & productiones apophysium huic prorsùs contraria est, exigente ita articulatione, ad quam sunt formati, propterea novà descriptione non indiget; substantia ejus marcasitacea est & formà suà cum figurà in *Tabulâ* exhibitâ omninò convenit. Inventus est in monte Legerio.

Si quis autem desideraret spondylolitham separare ab ipso Cornu Ammonis, ut ejus apophyses magis apparerent, immergat illud aquæ calidæ, quæ illicò articulationes, præcipuè si Cornu Ammonis sit marcasitaceum, solvet. *Modus separandi spondylolithas articulatos.*

Species & partes Spondylolitharum tam separatorum, quàm unitorum habemus sequentes: *Species Spondylolitharũ tã separatorum quàm unitorum.*

Spondylolithæ subrotundi majoris subcinerei facies interna posterior. *Tab.* 21. *fig.* 1.

Spondylolithæ subrotundi majoris subcinerei facies interna Anterior. *Tab.* 21. *fig.* 2.

Spondylolithæ subrotundi majores subcinerei conjuncti apophysibus mutilatis, & laciniatis. *Tab.* 21. *Lapis sceleton serpentis referens VVorm. Mus. pag.* 86. Tab. 21.

Spondylolithæ subrotundi majores subcinerei conjuncti juncturâ foliaceâ laciniatâ quàm maximè ramosâ & longissimâ. *Tab.* 21. *in fig. inf.*

Spondylolithæ subrotundi minores subcinerei conjuncti juncturâ foliaceâ laciniatâ folia Filiculæ referente. *Tab.* 21. *fig.* 4.

Spondylolithes Coracoidæus major subcinereus processu coracoidæo majore & mutilato. *Tab.* 21. *fig.* 3.

Spondylolithes Coracoidæus major subcinereus processu coracoidæo minore extremis protuberantiarum oris quasi crispatis.

Spondylolithæ Coracoidæi majores subcinerei conjuncti processu coracoidæo minore juncturâ foliaceâ laciniatâ, nubeculasque divulsas referente. *Tab.* 22. Tab. 22.

Spondylolithes Ovatus minor marcasitaceus spinâ quasi acuminatâ. *Tab.* 22. *n.* 1. *serie infimâ.*

CA-

CAPUT TERTIUM.

Varia Cornuum Ammonis structura interna exponit ur quæ non è Spondylolithis constare videtur.

EXpositis Spondylolithis, è quibus plures Cornuum Ammonis species construuntur, descriptionem variæ internæ Cornuum Ammonis structuræ aggredior, quæ non è Spondylolithis conflari videtur, &, licet hæc rarior sit, nec adeo frequens, tamen priori quo ad mirabilem & artificiosam suam texturam minimè cedit, imò illam quandoque superat.

Cornuum Ammonis Concamerarorum descriptio. Tab.22.

Prima repræsentatur in *fig.2. Tab.22.* quæ meris constat concamerationibus, seu loculamentis per septa transversa undatim incurvata distinctis, spiculisque crystallinis internè undique obductis: dictæ concamerationes non minùs, ac septa transversa tali modo & regulà dispositæ sunt, ut jurares, opus esse alicujus peritissimi Architecti summo studio & industriâ extructum: volutam enim arte factam, & secundum omnes Architecturæ civilis regulas efformatam pulcherrimè repræsentat, nam spiræ incipiunt à basi latiore, & sensim angustatæ in acumen tanquam punctum centrale desinunt, & quo magis spiræ angustantur, ita non minùs concamerationes quoad omnem suam dimensionem minuuntur, cunctaque septa transversa in rectà lineà positâ, sibi tam quoad exteriora, quàm interiora, tam longitudinem quàm latitudinem usque ad intimum volutæ punctum perfectissimè correspondent. In ipsis tamen nulla prorsus cavitas vel foramen relinquitur, quo mediante posset observari aliqua inter dictas concamerationes communicatio, prout habetur in Nautilis, quorum concamerationes siphunculus pervadit. *Vid. Tab.29. fig. infimam.*

Tab. 29.

Eorum Facies externa. Tab. 26.

Faciem externam Cornuum Ammonis quod spectat, illa exhibetur *Tab. 26.n.4.* & semper observatur striis divisis præcedente quàdam lineà eminente continuà, & per integrum externum Cornu Ammonis orbem horizontaliter protensâ. Juncturæ foliaceæ in hujusmodi lapidibus nunquam apparent. Duo similia Cornua Ammonis exhibentur à *D. D. Joan. de Muralto in Ephem: German: n.5. & 6. pag.44. fig.11. & 12. & à Luidio n.259. Nautilitæ cujusdam majoris facies interior crebris loculamentis crystallinis camerata.*

Ex his clarè patet, hujus Cornu Ammonis internam structuram à priorum structurâ quàm maximè differre; etenim Spondylolitharum loco in hoc cavitates seu concamerationes observantur, & apophysium vicem implent septa transversa undulatim incurvata, ac demum pulcherrimum juncturarum foliacearum in præcedentium superficie externâ apparentium ornamentum supplent in hoc splendentia, & transparentia spicula crystallina, vel selenitica totam internam concamerationum faciem elegantissimè obducentia.

Non ob eo.

Unde dubitandum est, utrum hujusmodi Cornua Ammonis sint ejusdem spe-


Iunctura Foliacea contracta.
Facies Interna Cornuum Amonis.
22
1
Am: Cor: incompletum Seu accrescens.
2
3.
1.
A.

speciei cum præcedentibus, id est, utrum sint producta à vi plastica ejusdem seminis, à quo illa generari solent, vel alterius ab illo specie distincti. Hanc ultimam opinionem persuadere videtur, quòd plura Cornua Ammonis Concamerata, spiculisque crystallinis obducta, & septis undatim incurvatis internè distincta deprehendantur eàdem regulà, eodem ordine, & simillimà totius internæ structuræ, omniumque partium illam constituentium symmetriâ producta, ut meritò conjicere liceat, Concamerata Ammonis Cornua à vi plasticâ peculiaris seminis à primorum semine distincti generari, & consequenter tam quoad internum suum principium quàm etiam ipsam structuram diversum genus & ab iis distinctum constituere, neque obstat, quòd sæpius idem principium productivum à debitâ subjecti sui formatione aberrans corpora diversimodè figurata producat, vel ob materiæ defectum, vel ejus heterogeneitatem, vel alias circumstantias naturalem ejus motum impedientes, aut invertentes; nam in hoc casu plura quidem corpora producet à solitâ figurâ quandoque aliena, sed non sibi tam quoad internam quàm externam structuram omninò similia, quoniam quàlibet vice ob diversam causam à naturali formatione deflectit, & ideo etiam nunc in hàc, dein in aliâ parte efformandâ deviat. Spicula crystallina internam concamerationum faciem obducentia quod attinet, probabile est, illa in primordiis lapidum generationis producta fuisse è materiâ nempe tenuiore & limpidâ ob constrictionem reliquæ materiæ primò lapidescentis per poros exsudante, & dein etiam in crystallos, aut selenitas angulares, splendentes & quandoque etiam transparentes obrigescente, eodem prorsus modo, quo selenitas circa VValdshutium in suâ matrice formatos fuisse enarravi, quod phænomen manifestè quoque probat opinionem, quæ asserit, Lapides Figuratos in terrâ generari; nam si essent tantùm petrificata, nescirem, quomodo in eorum meditullio tales lapides transparentes & crystallini produci potuissent, imò potius horum generatio omninò debuisset impediri.

dem principio seminali, quo reliqua Ammonis Cornua generãtur, producantur.

Modus generationis spiculorum crystallinorum internã Cornuum Ammonis Concamerato rum faciẽ obducentiũ

Cæterùm lapis est subcinerei coloris, durus, & magnitudine suâ figuram *in Tabulâ* expressam unâ vice superat, crassitie verò duos digitos transversos æquat. Inventus est in montibus comitatûs Badensis prope pagum *Dægenfelden* & oppidum *Clingnau*.

Cornu Ammonis cõcamerati color, magnitudo & locus.

Tertia interna Cornuum Ammonis substantia conflatur è fibris seleniticis à foraminulo quodam subrotundo centri vicem gerente, & ad recipiendam quandam apophysin sine dubio instituto ortis, rectâque lineâ ad modum fibrarum Lapidis Bononiensis aut alicujus Belemnitæ. (*Vid. Tab. 2. lit. A. & Tab. 37.*) ad peripheriam usque porrectis: Puncto centrali versus partem interiorem adjacet fissura triangularis satis ampla, ut spirarum orbes eidem applicari possint, margo verò sive fimbria externa fibrillas seleniticas colligens substantiæ est ejusdem cum Spondylolithis & calcariæ similis. *Vid. Tab. 22. fig. 3. in serie infimâ.*

Descriptio interna Cornuum Ammonis substantiæ è fibris seleniticis conflatæ. Tab. 22.

Substantia Cornuum Ammonis è hujusmodi fibris conflata valde rara est, imò mihi præter hanc unicam nullam aliam videre contigit, unde non immeritò dubito, utrum hæc sola particulare genus, & tam quoad suum principium productivum quàm structuram internam ab aliis Cornubus Ammonis distinctum indicare queat: nam quandoque talia producta solum-

modò lusui naturæ ob varias causas in formatione rerum aberrantis adscribenda sunt, præcipuè verò illa, quæ ratissimè vel unicà tantùm vice observata sunt,

Quæ eodẽ modo generantur ac præ dicta spicula crystallina.

Generatio fibrarum seleniticarum integram hujus Cornu Ammonis substantiam internam constituentium probabiliter ab eàdem causà, quæ in explicatione spiculorum crystallinorum prioris Cornu Ammonis adducta est, dependet, hoc tamen discrimine, quòd, cùm hæ sint in majore quantitate, & copiâ suâ integram internam substantiam occupent, major quoque quantitas, & quidem potior materiæ tenuioris, & aquæ instar per poros marginis lapidescentis propulsæ, vel jam in ipsâ cavitate contentæ adfuerit. Ratio autem, cur spicula seu fibræ hæ crystallinæ aut seleniticæ versus internam lapidum substantiam frequentiùs dirigantur, alia assignari non potest, præterquamquòd fortè coagulatio materiæ lapidescentis ab extimâ superficie propter ambiens frigidum plerumque incipiat, & consequenter materiam tenuiorem versus partem internam propellat, donec sensim sine sensu etiam condensetur, & in hujusmodi lapillos crystallinos figatur, prout videmus ceram liquefactam, aut etiam sevum semper prius condensari quoad partem suam externam aëri expositam, internâ substantiâ adhuc fluidâ remanente. Frigus autem petrificationes promovere habetur ex eo, quòd loca ei exposita v.g. Septentrionalia semper sint magis saxea, pluribusque lapidibus referta, quàm illa, quæ temperato aëre gaudent, & ambiente calidiore perfunduntur. Lapillus magnitudine suâ similis est figuræ, cinereique seu plumbei coloris, & fuisse articulum Cornu Ammonis Striati striis divisis in spinam subrotundam abeuntibus facilè ex ipsâ superficie externâ cognoscitur.

Ratio, cur plerumque in lapidibus intrinsecè generentur.

Descriptio Cornuum Ammonis interna substãtia, quæ è simplici lapide constat.

Major Cornuum Ammonis copia deprehenditur, quorum interna substantia (quæ quarta est) è puro lapide, quandoque quasi calcario, quandoque ad Pyritem accedente, nulloque prorsus vestigio alicujus Spondylolithæ, vel apophysis, aut fibrillæ seleniticæ insignito, sed omninò per totam substantiam suam æquali, & omni figurâ peculiari privato constituitur, nec tamen desunt hujusmodi Cornubus Ammonis in superficie suâ striæ cujuscunque speciei, densiores, & tenuiores, imò præter strias nonnunquam etiam tuberculis insignibus exornantur.

Descriptio Cornu Ammonis, cuius interna substãtia è meris Lapillis Figuratis alterius speciei coagmentatur. Tab. 22.

Quinta & ultima interna Cornuum Ammonis structura consistit in Lapillis Figuratis alterius speciei, ei tanquam suæ propriæ matrici immersis, prout videre est *in Tab.* 22. *fig.* 1. *serie primâ*, in quâ exhibetur frustum Cornu Ammonis Striati striis divisis in spinam subrotundam abeuntibus, cujus interna substantia à parte superiore usque ad inferiorem è meris Conchitulis Anomiis striatis minimis coagmentatur, qui sibi invicem ita incumbunt, ut videantur studio illi tanquam alicui loculo impositi, superficiẽ tamen extimam non tangunt, sed fimbriâ quasi lapideâ lineas duas densâ colliguntur, non secus ac fibrillæ seleniticæ superiùs descriptæ, multo minùs striarum in superficie Cornu Ammonis expansarum ordinem interrumpunt: substantia lapidis calcariæ proxima est, sublutea, lapisque mole suâ figuram exhibitam unâ vice superat. Inventus est in montibus comitatus Badensis prope Lüggeren.

Structura

Si quidquam dubiam reddat veritatem opinionis, quod Lapides Figurati

sint

ſint Reliquiæ marinæ in Univerſali Cataclyſmo ab aquà in terram projectæ, & dein petrificatæ, eſt interna præſentis Cornu Ammonis ſubſtantia ſeu facies è tam numerosà Conchitularum Anomiarum congerie coagmentata. Etenim captu difficile eſt, quomodo & quà viâ tanta Conchitularum progenies in internam Cornu Ammonis ſubſtantiam penetrare potuerit, niſi admittatur, quòd unà cum illo ſimul in terrà productæ fuerint. Nam ante petrificationem ſe in illam inſinuare non poterant, cùm ſpiræ Cornuum Ammonis non ſint fiſtularum inſtar concavæ, ſed vel è Spondylolithis aut ſeptis tranſverſis conſtent, multò minùs hoc poterat fieri poſt petrificationem, cùm jam integra Cornu Ammonis ſubſtantia materiâ lapideà erat repleta, & in naturam ſaxeam converſa, probabilior igitur conjectura erit, ſemina Conchitularum Anomiarum fuiſſe commixta materiæ jamjam in figuram Cornu Ammonis formandæ, & cum hujus ſemine ſimul fœcundata, quorum vis plaſtica materiam diſpoſitam, ſibique neceſſariam in figuras à naturâ præfixas efformavit, reliquâ ſemini Cornu Ammonis relictâ, quæ nullis Conchularum ſeminibus imbuta faciliter in figuram contento ſemini propriam expandi poterat, quod etiam in animalibus evenire jam ſæpius obſervatum eſt, dum muſcæ, & plura alia inſecta ſemina ſua intra corpora majorum animalium, licet nondum ad debitam perfectionem perductorum, deponunt, quæ ſenſim fœcundantur, & in animalcula ſuæ ſpeciei convertuntur, corpore majoris beſtiolæ illæſo, & integro remanente. Legatur *Goedart. in ſuo Curios. Papilionum Tractatu*, ubi habet, quòd ex unicâ Chryſalide vel Aurelià ad trecentum minimæ muſcæ cum Papilione avolaverint; quibus adde, quòd, ſi Conchitulæ fuiſſent jam ante petrificationem in interno Cornu Ammonis ſinu reconditæ, impoſſibile videretur, eos in ſubſtantiam lapideam converti potuiſſe; nam irruens ſuccus lapidificus ab ipſo teſtaceo (ſi Cornua Ammonis ad teſtacea reducenda ſint) vel potius oſſeo involucro in ſuo curſu ita fuiſſet impeditus, ut ne quidem earum poros attingere valuiſſet, ne dicam, penetrare.

huius Cornu Ammonis opinionem diluvianam valde dubiam reddit.

Modus generationis ſecundum opinionem oppoſitam exponitur.

Qui confirmatur exemplo inſectorum ova ſua in aliis animalibus vivis deponentium.

Ex hàc brevi internarum ſubſtantiarum ſeu facierum Cornuum Ammonis deſcriptione innoteſcit, majorem eorum numerum ex articulis ſeu Spondylolithis per ginglymum inter ſe unitis conflari, his copià proxima eſſe ea, quæ è mero & ſibi æquali lapide nullà prorſus Spondylolitharum aut ſepti tranſverſi notà inſignito conſtant, demum minùs frequentia eſſe Cornua Ammonis Concamerata. Reliquorum autem internas facies probabiliter luſui naturæ tantùm adſcribendas eſſe, & ſolummodo accidentales videri.

Quemadmodum Ammonis Cornua quoad ſtructuram ſuam tam internam quàm externam non parum differunt, ita etiam ipsà materiâ, ex quà conſtant, inter ſe quoque diſcrepant. Nam quandoque deprehenduntur lapidea, quandoque marcaſitacea, & nonnunquam etiam ferrea. Lapideorum Cornuum Ammonis pars major calcaria eſt, ad hanc numero proximè accedunt ſilicea, inter quæ interdum etiam occurrunt, quæ duritie ſuâ Pyritem aliquem ſiliceum aut etiam marmor ipſum præſeferunt.

Cornuum Ammonis diverſa materia.

CAPUT QUARTUM.

Quid sit Armatura Cornuum Ammonis, reliquorumque Lapidum Figuratorum.

IN Cornuum Ammonis superficie non minùs, ac aliorum Lapidum Figuratorum præsertim Conchitarum Anomiorum deprehenditur non rarò materia quædam splendens tenuissimè hinc inde expansa, quæ aliquando colore suo aurum præsefert, aliquando verò argentum, & nonnunquam etiam plumbum: vocatur à Metallicis Armatura (Germanicè *der Harnisch*) quia lapides tali Armaturà donati quasi vestitu metallico induti sunt, ideòque à Græcis Hoplitæ dicuntur, ab aliis verò Chrysammonitæ, seu Ammochrysi aut Chrysamni, si nimirum Armatura colore suo aurum referat. *Vid. Ambrosin. lib. 1. pag. 54. & Reiskii Exercit. Hist-phys. de Cornu Ammonis cap. 3. §. 5.* neque solùm hujusmodi Armatura in superficie Lapidum Figuratorum occurrit, sed sæpius etiam in ipsà matrice apparet.

Lapidum Armatura: germanice: der Harnisch

Quid Armatura hæc sit, adhuc sub judice lis est, non esse verum metallum habemus ex *Agricola lib. 5. de ortu subterran.* Neutrum tamen non modo metallum non est, sed ne tantillum quidem illius ex eo potest confici. *Imperatus* putat, Ammonis Cornua, si fortassis in marcasitam inciderint, tunicà vestiri metallicà sive Armaturà, quam communiter vocant (*vestite di colore metallico, il che chiamano Armatura*) cui opinioni plures alii Philosophi assentiuntur; cur autem non tantùm Lapides Figurati in marcasitam incidentes simili Armaturà induantur, sed etiam alii, causam non addunt; nam non omnis generis Lapides Figurati hàc Armaturà ornati observantur, sed solùm durissimi, imò quamplurimi Armaturà imbuti occurrunt propriæ matrici adhuc immersi, ita ut marcasitam nullo modo attingere potuerint.

Causa Armaturæ secundum eteres.

Dubitandum igitur erit, an similes Armaturæ non in ipsà lapidis generatione producantur, dum nimirum materia sulphurea subtilissima sale fuso, & splendente, à quo nitorem suum acquirit, imprægnata & ad coagulationem lapideam subeundam minus apta in arctissimà materiæ lapidescentis constrictione exprimatur quasi, & ad superficiem lapidis efflorescat, in quà ab ambiente condensatur, & in tunicam hanc tenuem convertitur, quæ propter commixtos transparentes, & ad minima resolutos sales splendicat, & pro diversitate dispositionis sulphuris, nunc ad aureum, aliquando ad argenteum vel etiam plumbeum colorem vergit.

Secundum Authorem

Probabilitatem hujus conjecturæ magis persuadet, quòd tales Armaturæ non nisi in durissimis Lapillis Figuratis inveniantur, utpote qui è materià tenuiore & in petrificatione suà strictissimè sese contrahente constant, quo fit, ut vis lapidifica poros majore ex parte occludendo contentam lapidis materiam sulphuream, & subtilissimam ad superficiem usque propellat.

Huic Armaturæ simillimam materiam reperimus in aquis nostris Fabariensibus ob egregias suas virtutes medicas universæ Europæ notis. His, si per aliquot septimanas in vitro bene clauso, locoque humido conserventur, ita ut putrescere incipiant, & earum particulæ sulphureæ inter se irretiantur,

Materia Armaturæ lapidum si.

tur, & confluant, hujusmodi materia sub formà squamarum tenuissimarum & albicantium innatans observatur, quæ per linteolum purum transcolata & chartæ mundæ leviter illita similem prorsus tunicam seu Armaturam optimi auri instar splendentem inducit, & chartæ communicat.

millima elicitur ex aquis Fabariensibus.

Utrum hæc Armatura non etiam confirmare possit generationem Lapidum Figuratorum intra terram à peculiari semine fieri, vix dubito, præsertim cùm illa in corporibus verè petrificatis nunquam deprehendatur, ideoque in ipsà productione lapidis necessariò generari debeat.

CAPUT QUINTUM.

Ad quid Cornua Ammonis propriè reducenda sint, quomodo generentur, & quas virtutes possideant.

PRæmissà descriptione internæ Cornuum Ammonis structuræ, eorumque Armaturæ, indagandum est, quid propriè sit Cornu Ammonis, & ad quid reducendum sit. Antiqui illud inter gemmas pretiosissimas reposuerunt *testante Plinio libr. 37. cap. 10.* Hammonis Cornu inter Sacratissimas Æthiopiæ gemmas aureo colore Arietini Cornu effigiem reddens, promittitur prædivina somnia repræsentare. Sed cùm plurima Cornua Ammonis sint, quæ aureo colore non sunt tincta, & in pluribus locis frequentissimè ac copiosè occurrant, neque gemmæ nomen merentur, neque ut illas inter reponantur.

Ammonis Cornu non est gemma.

Alii ea ad Cornua Arietina petrefacta referunt, sed interna eorum structura superiùs fusè descripta, & ipsimet orbes serpentum in modum in se convoluti satis demonstrant, Cornua Ammonis & Arietina inter nullam vel exiguam profectò intercedere similitudinem.

Nec Cornu Arietinum petrefactũ.

Celeberr. P. Athan. Kircherus & cum eo *Joan. de Muralt. præcl. apud. Tigurinos Medicus Ephem. Germ. ann. 5. & 6. Observ. 15.* generationem Cornuum Ammonis adscribunt vi Actinobolicæ radiorum Jaculatrici, quæ reperitur in salinis corporibus. Spondylolithæ verò cum suis apophysibus nunc obliquè, dein transversim sitis, nunc rectis, dein incurvatis, semper tamen tali regulà & ordine dispositis, ut cum præcedente & subsequente articulo mediante ginglymo tam firmiter & artificiosè, ac ossa in animalibus seu vertebræ in eorum spinis articulari solent, conjungi possint, dein & ipsa septa transversa undatim incurvata, æquali & regulari situ dissita, & inter se tam quoad exteriora quàm interiora exactissimè correspondentia causam magis regularem & determinatam ad hujusmodi corpora producenda exigere videntur, quàm est vis Actinobolica Radiorum Jaculatrix in salibus delitescens, quæ, si rectà lineà agere nequeat, omnes reliquas figuras irregulariter producit, & casu tantùm, quia tunc non amplius à vi intrinsecà sed ab ambiente externo nunquam eodem modo disposito, adeoque plerumque diversimodè eam afficiente, in motu suo dirigitur.

Nec producitur à vi actinobolicà radiorum Jaculatrice, quæ observatur in Salibus.

Præcipuis hujus temporis Philosophis arridet (ob eundem circumvolutionis modum fortè) Cornua Ammonis ad Nautilos referre, qui autem structurà ab iis ita differunt, ut de veritate hujus opinionis meritò dubitandum

Neque ad Nautilos marinos

referendū est.

dum sit: Nautili enim omnes amplo & valde concavo principio, cui piscis insidet, donantur, deinde respectu amplissimi sui principii & ingentis oris minimis vel paucissimis inclusis anfractibus finiuntur, quorum interna substantia concava est, & in plures cellulas divisa, quæ vel foramine vel siphunculo septa incurvata pervadente sibi invicem perviæ sunt. Ita ut pro certo haberi possit, Cornua Ammonis è Spondylolithis aut puro lapide conflata ad Nautilorum genus non pertinere; quòd verò Cornua Ammonis Concamerata ad illud reducenda sint, major apparet probabilitas ob aliqualem saltem internæ faciei similitudinem, sed de hujus conjecturæ veritate etiam non leve movent dubium sequentes rationes. Primò: in Cornubus Ammonis Concameratis septa undatim incurvata nullo foramine aut siphunculo pervia sunt. Secundò: in principio horum Cornuum Ammonis prima cellula reliquis proportionaliter est æqualis, & tam parva, ut piscem continere non posset. Tertiò: Cornua Ammonis Concamerata non minùs ac reliqua multis & maximis anfractibus serpentum in modum in se convolvuntur, & striis tam diversis insignita sunt, ut adhibità omni attentione levis sanè hos lapides inter, & Nautilorum Conchas, cujuscunque speciei etiam sint, similitudo reperiatur.

Sed potius ad spinas serpentum marinorū aliorumque insectorum.

Potius igitur credendum putarem, majora Cornua Ammonis è Spondylolithis conflata cum *VVormio* ad serpentum spinas à semine in terrà ex materià lapidescente productas referēda esse, minora verò vel ad certos quosdam vermes, aut alia hujusmodi insecta marina, quorum sceletos aut ipsas exuvias sat pulchrè repræsentare videntur. Cornua Ammonis autem Concamerata è Spondylolithis quoque construi, sed alterius speciei, cùm à diverso semine producta sint, adeoque non minùs ad spinas prædictorum Animalium reducenda esse, ac ea, quæ è puro lapide & quàcunq; aliâ figurâ destituto conflantur, in quibus, licet vestigia Spondylolitharum non appareant, probabiliter tamen adsunt, sed ob abundantiam materiæ lapidescentis obruta.

Quæres. 1. Cur capita dictorum Animalium nunquam petrificata appareant? Respondetur, verisimile esse, materiam lapidescentem non esse proportionatam, ut ex eà tam nobilis structura, sicuti est illa capitis, formari possit, etiamsi principio plastico imbuta esset.

Ratio, cur omnia Cornua Ammonis serpentum in modum in se convolvantur.

Quæres. 2. Cur omnia Cornua Ammonis serpentum in modum in se convolvantur? Respondetur, hoc probabiliter provenire à vi plasticà ipsi semini intrinsecà materiam formandam in gyros urgente & propellente, quemadmodum videmus, serpentum nostrorum fœtus tunicis suis adhuc involutos haud absimiles gyros & anfractus formare uno alteri imposito, & acumine caudæ centrum occupante, quod multò magis naturale erit marinis serpentibus utpote in mari natis, cujus pleraque corpora sunt turbinata; vel in gyros disposita, quod etiam seminibus ipsis illa producentibus à naturâ inditum erit.

Vires Cornuum Ammonis.

Ægyptiaci superstitioni summè addicti, uti superiùs jam dictum est, olim subiiciebant Cornua Ammonis capiti incubantium, ut iis prædivina somnia repræsentarentur, & Oraculorum sensum de futuris intelligerent, ita *Jul. Solin. Polyhist. c.* 27. Hodierno tempore Cornu Ammonis apud rusticos in magnà æstimatione & usu est, ad vaccas à veneficiis liberandas & præservandas, ad quem finem in Sylvà Hercinià appenditur supra portam

stabu-

ſtabulorum, & ad tollenda vaccarum jamjam ſuſcepta veneficia, per quæ illis lac vel eripitur, vel corrumpitur, ita ut loco lactis ſanguinem emittant, Cornu Ammonis mulctro, in quod mulgetur, imponunt, ut lac iterum redeat, aut corrigatur, ſed hæc puto ruſticalis ſimplicitatis. Aliæ Cornuum Ammonis virtutes hucuſque non ſunt notæ.

Eorumque loca nativa.

Cornua Ammonis plerumque etiam in omnibus iis montibus reperiuntur, ubi alii Lapides Figurati occurrunt, eorum autem loca nativa magis adducentur in enumeratione & brevi deſcriptione ſpecierum.

CAPUT SEXTUM.

Quædam Ammonis Cornua Incompleta, ſeu ſtatum embrionatum præſeferentia deſcribuntur, quæ opinionem diluvianam valde ſuſpectam reddunt.

ANtequam Species Cornuum Ammonis perfectas in medium proferam, priùs nonnullæ imperfectæ ſeu incompletæ, ſtatumque embrionatum præſeferentes exponendæ veniunt, quarum prima conſtat è Spondylolithis Coracoidæis, & eſt Cornu Ammonis Incompletum ſeu accreſcens, ſtatumque adhuc embrionatum præſeferens *Tab.* 22. expreſſum, magnum ſanè argumentum, quod hujuſmodi lapides potius in terrâ generentur, & creſcant, quàm revera corpora marina ſint à Diluvio in terram delata, & in eâ petrificata. Tab. 22. Conſideremus parum rariſſimum hunc lapidem, & obſervemus aliquantulum majore cum diligentiâ, quid in eo potiſſimum notatu dignum occurrat, ut dein eò faciliùs novas conjecturas circa abſtruſiſſimam horum lapidum generationem formare queamus.

Ammonis Cornu Incompletũ, & ſtatum embrionatũ adhuc referens.

Ammonis Cornu Incompletum ſeu ſtatum embrionatum adhuc præſeferens unâ cum lapide, cui inhæret, ad calcarium ſubſtantiâ ſuâ proximè accedit, cinericeique eſt coloris. In medio lapidis ſita eſt quædam Cornu Ammonis portio unius anfractûs, & ſtriata ſtriis valde tenuibus & diviſis, cujus centrum occupatur à ſubſtantiâ lapideâ rudi, inæquali, & aſperâ, nullâque prorſus figurâ donatâ, in quam dicta Ammonis Cornu portio deſinit, quemadmodum etiam è ſimili principium ſuum ſumit. In parte ſuperiore ac laterali dextrâ adjacent deſcripto Ammonis Cornu anfractui Spondylolithæ Coracoidæi è lapide aſſurgentes, ſed qui nec perfecti ſunt, nec contigui, ita ut inter illos interſtitia quædam deprehendantur è mero lapide rudi, omniſque figuræ experti compoſita. His tamen non obſtantibus ex eorum ſtructurâ, magnitudine & ſitu clarè cognoſcitur, illos ad complendum imperfectum hoc Ammonis Cornu in centro lapidis ſitum à naturâ productos fuiſſe, quorum autem perfecta efformatio vel ob defectum materiæ, aut ejus indebitam diſpoſitionem ſtatim in primordiis generationis ſupreſſa fuit. In parte lapidis infimâ, anfractuiq; Cornu Ammonis proximâ aliam quoque fuiſſe materiam expanſam facilè dignoſcitur ex ipsâ lapidis facie, ſed cujus figura præter ſimplicem expanſionem, nec Spondylolithas

lithas præsefert, nec striis insignitur. Quod in hoc lapide maximè mirandum, est, strias, quæ in spinà bifurcatæ incipiunt, & dein in simplices abeuntes à potiori ultra medium Spondylolitharum corpus non porriguntur (exceptis nonnullis ipsum Ammonis Cornu anfractum attingentibus) non solùm per enarratos Spondylolithas imperfectos excurrere, sed etiam aliquibus in locis per ipsamet eorum interstitia è rudi lapide conflata. Quod ejus magnitudinem attinet figuram *in Tab.* 22. expressam mole suà bis superat, inventum est in montibus comitatus Badensis prope *Boetstein*.

Tab. 22. *Locus.*

Rationes, cur statum embrionatũ adhuc præseferat.

Ammonis Cornu Incompletum hucusque descriptum adhuc statum embrionatum præseferre ejusque formationem completam in primordiis generationis suppressam fuisse, nullus dubitabit. Etenim hoc manifestè indicant Spondylolithæ defectivi, & non ad suam perfectionem perducti; dein eorum magnitudo, situs, & figuræ ad magnitudinem, situm, & figuram anfractùs Ammonis Cornu in medio locati proportionatæ, quod ipsum confirmant ipsæmet striæ mancæ non solùm per eorum substantiam, sed etiam per lapidem rudem excurrentes. Nec sufficit dicere, Spondylolithas imperfectos olim fuisse integros, sed postea tractu temporis ab injuriis externis consumptos, & dissolutos, quippe in datà, sed non concessà, Spondylolitharum dissolutione debuissent primò eorum partes tenuiores ac subtiliores dissolvi & consumi, prout sunt striæ tenuissimæ & laciniæ tenellæ peripheriam expansarum protuberantiarum exornantes, hæ autem adhuc quasi integræ & illæsæ observantur, & quod adhuc magis opinionem nostram confirmat, est, quòd omnino impossibile videatur, integrum Spondylolithæ corpus à quàcunque causà dissolvi posse, nisi etiam ejusdem striæ simul consumantur, contrarium autem hìc (datà dissolutione) debuisset in nostro lapide fieri, in iis nimirum locis, in quibus adhuc striæ per rudem lapidis substantiam, & ubi Spondylolithæ prorsus desunt, non minùs ac per ipsos Spondylolithas excurrentes observantur. Ad hæc accedit anfractus Ammonis Cornu in medio collocati è lapide rudi assurgens, & iterum in illũ desinens, nullo prorsus relicto alicujus matricis à Lapide Figurato distinctæ indicio, ita ut clarè pateat, Ammonis Cornu incompletum quoad substantiam suam cum ipso lapide totaliter convenire, & nullo modo ab eo distingui, quod tamen, si aliquod corpus petrificatum foret, fieri non potuisset, quin saltem aliqua diversitas inter hoc & ipsum lapidem deprehenderetur.

Causa, à quà ipsius perfectio fuit impedita.

Probabile itaque est, productionem hujus Cornu Ammonis Incompleti perfectam statim in ipsà generatione impeditam fuisse à materiæ cruditate & tenacitate, quæ à vi plasticà auræ seminalis non potuit debitè expandi, & consequenter integra lapidis structura imperfecta ac manca remansit.

Nec solùm Lapides Figurati ob materiæ dispositionem indebitam notabilem defectum in suà generatione contrahere possunt, sed etiam ob ejusdem materiæ, licet debitè dispositæ, excedentem copiam, quod sequens species innuere videtur.

Excedens materiæ copia etiam accretionẽ perfectam supprimit.

Ammonis Cornu marcasitaceum striis tenuioribus & divisis *in eàd. Tab. lit. A.* expressum quoque incompletum videtur, sed ob auræ seminalis vim plasticam statim in primordiis generationis à nimiâ materiæ copiâ obrutam, & quasi suffocatam, siquidem de eo medius tantùm orbis apparet circa finem & principium suum immodicâ quantitate marcasitæ rudis, asperæ & omni figurâ regulari destitutæ opertus.

Tab. 22.

Que-

Quemadmodum autem plura Ammonis Cornua ſtatim in ipsà generatione à materiæ copiâ modum excedente ſupprimi poſſunt, ità non minor eorum numerus datur, quæ ob defectum materiæ ad perfectionem non perducuntur. Simile mihi donatum fuit ab Illuſtriſſimo, & Strenuo Domino Schmid de Bellicken Uranienſi, tunc temporis Præfecto Badenſi in Helvetià, quod tantummodò ſemicirculum ſeſqui ſpithamam longum formabat, ſuiſque ſtriis denſioribus & elevatis, nec non fine acuminato Cornu Arietinum ad amuſſim præſeferebat. Ad hujuſmodi Cornua Ammonis imperfecta nonnullos quoque Spondylolithas reducendos puto, qui ſæpius tanquam partes pro toto, vel ob defectum materiæ, aut ejus indebitam diſpoſitionem producti videntur. *Sicuti & deficiens.*

TABULA GENERICA.

Lapidum Figuratorum Quartæ Claſſis.

- Lapides Figurati Intorti, & ſerpentum in modum in ſe convoluti
  - Cornua Ammonis
    - Lævia
      - Spinà
        - Rotundà.
        - Eminente.
        - Eminente dentatà.
    - Tuberculis insignita
      - In interiore orbium ambitu.
      - In exteriore orbium ambitu.
    - Striata
      - Striis integris
        - In Spinam
          - Subrotundam abeuntibus.
          - Acutam abeuntibus.
          - Eminentem abeuntibus.
          - Sulcatam abeuntibus.
          - Inter duos ſulcos eminentem abeuntibus.
      - Striis diviſis
        - quandoq; verò præcedente plerumq; immediatè Turberculo, Vel Lineà eminente,
          - Et in Spinam
            - Subrotund. abeuntibus.
            - Acutam abeuntibus.
            - Eminentem abeuntib.
            - Sulcatam abeuntibus.
            - Inter duos ſul. emin. ab.
  - Squamati
    - Nautilites.

CAPUT SEPTIMUM.

Ammonis Cornua Lævia.

Ammonis Cornu Lævе.

PEr Ammonis Cornua Lævia intelliguntur ea, quorum superficies lævis est, & neque tuberculis, neque striis donatur; germanicè appellari poterunt: *Glatte Scher-oder Zieher-hœrner*, quorum sit

GENUS I.

Ammonis Cornu Lævе Spinà subrotundà.

Spina Cornuū Ammonis. Venter. Species. Tab. 23.

SPina Ammonis Cornuum est extrema orbium convolutorum pars, quæ exteriora respicit, & etiam dorsum appellari posset; interior verò eorum pars, quæ centrum respicit, Venter vocatur, Spinæque oppositus est.

Hujus Generis Species sunt:

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus trium anfractuum, juncturis foliacea exprimentibus. *Tab.* 23. *n.* 2.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus trium anfractuum, orbibus vermiculorum instar teretibus. *Tab.* 23. *lit. A.*

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus duorum anfractuum, orbibus vermiculorum instar teretibus.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minimum duorum anfractuum. *Tab.* 23. *n.* 3.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minimum unius anfractùs. *Tab.* 23. *n.* 4.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà mediocre compressum duorum anfractuum, umbilico pertuso, juncturis foliacea exprimentibus. *Tab.* 23. *n.* 1.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minimum compressum duorum anfractuum, umbilico pertuso.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà mediocre compressum duorum anfractuum.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus cōpressū duorum anfractuū.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus compressum unius anfractùs.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minimum compressum duorum anfractuum.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus compressum ovatum unius anfractùs, & matrici immersum.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà mediocre duorum anfractuum, ex alterà tantùm parte ad umbilicum cavum. Hucusque enarrata Cornua Ammonis omnia subcinerei sunt coloris.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus albicans trium anfractuum, ex alterà tantùm parte ad umbilicum cavum.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus album trium anfractuum

Arma-

Armaturà argenteà splendente donatum, & ex alterà tantùm parte ad umbilicum cavum.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus cinereum, ovatum, quatuor anfractuum, ex alterà tantùm parte ad umbilicum cavum.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà minus, umbilico æquè prominulo, unius tantùm anfractùs. *Tab.* 23. *lit.B.* De hoc quoque mentionem facit *Lister. art.* 3. *tit.* 10. *part.* 1. *Cochlit. Angl.*

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà marcasitaceum mediocre compressum trium anfractuum.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà marcasitaceum minus compressum trium anfractuum.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà marcasitaceum minus compressum trium anfractuum, juncturis foliacea exprimentibus.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà marcasitaceum minus compressum trium anfractuum, juncturis foliacea exprimentibus, cujus septimus Spondylolithes prorsus lapideus est, & Eburis instar candidus, ac tenuissimis apophysibus donatus.

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà marcasitaceum minus compressum trium anfractuum, glebà minerali obductum. *Tab.* 23. *lit. C.*

Ammonis Cornu læve spinà subrotundà marcasitaceum minus trium anfractuum, orbibus teretibus, & non nihil asperis.

Cùm natura Cornuum Ammonis marcasitaceorum, aliorumque Lapidum Figuratorum, qui ex eàdem materià construuntur, perfectè intelligi nequeat, nisi etiam sciatur, qualis materia sit Marcasita, operæ pretium erit, brevem ejus descriptionem addere, ad facilitandam cognitionem Lapidum Figuratorum, qui ex hujusmodi materià conflantur. *VVagn. lib. sæpius citato pag.* 353. illam satis clarè tradit his verbis: Marcasitæ, Germ. *Marcasiten* vel *Blende*: Sterile nitidum *Georgio Fabricio*: Mica Magnetis *Georg. Agricolæ* mediæ inter lapides & metalla sunt naturæ, unde à nonnullis haud incongruè μεταλλόλιτοι nuncupantur. Oculos suo nitore decipiunt, & omnium metallorum pulchritudinem imitantur, eorumque sinceritatem mentiuntur. Marcasitæ metallis mixtæ ea depravant, eorumque bonitatem vitiant; unde nostris vulgi sermone notum est proverbium: Non esse omne Aurum, quod nitet. *Es ist nit alles goldt, vvas glentzet.* Variæ eorum sunt differentiæ. Aureæ Germanicè *Katzen-gold* q. d. Aurum felium: Argenteæ, Germ. *Katzensilber* q. d. Argentum Felium, ut & *VVeisser Glimmer*; Æreæ *Kupferblende*, &c. Hæ omnes in Helvetiæ locis montanis sæpè reperiuntur. Nullum utilitatis fructum iis præbent, qui venas excoquunt, quòd totum ejus corpus ignis consumat, cùm autem ex sale & sulphure suam originem habeant, hinc quoque naturà suà summè sunt calidæ ac corrosivæ.

Marcasita.

Marcasiten, oder Blende.

Differentia.

Locus.

Vires.

Ad Marcasitam proximè accedit Spatum, Germanis: *Spat*, *Spaat*, *Spatih*, *Spott*, hinc ejus descriptionem ex eodem Authore *lib. cit. pag.* 320. quoque addam. Spatum lapis est durus, ponderosus, coloris cinerei, micans instar Talci. In comitatu Badensi ad montem *Hertenstein* foditur. Aurifabri lapidem hunc calcinant, donec in candidissimum pulverem redigi possit; eo madefacto in massam redigunt, ac inde suos prototypos seu figuras confici-

Spatum. Spat.

ficiunt, in quas metalla sua liquida infundunt, ac figurant.

Explicatio magnitudinum Cornuum Ammonis.

In enarratis Cornuum Ammonis speciebus animadvertendum est, magnitudinem eorum, quæ mediocria vocantur, esse similem Cornu Ammonis *n.* 1. *Tab.* 23. & minorum magnitudini Cornu Ammonis *n.* 2. minima verò mole suâ adæquare tertium & quartum *ejusdem Tabulæ.*

Locus.

Cornua Ammonis lævia spinâ subrotundâ lapidea maximâ ex parte collecta sunt in monte Legerio, & è montibus circa Monasterium S. Galli vulgò: *Sant-Gallen* allata, marcasitacea verò occurrunt in montibus Subsylvanorum, Suitensium, nec non in alpibus Rhæticis, & comitatu Sarunetano vulgò: *Sargans*: suppeditantur quoque à montibus Enthibuochii Agri Lucernensis. Nullibi autem frequentius reperiuntur, quàm in comitatu Neocastrensi *à Souchie, Hauterive, & à Prise.*

GENUS II.

Ammonis Cornu Lave Spinà eminente seu Cristatum.

Spina Cornuum Ammonis Eminens.

SI Spina in Cornubus Ammonis extra superficiem cristæ instar elevetur, tunc eminens vocatur, & ideò Cornua Ammonis tali spinâ donata Cristata appellari possent.

Species.

Species sunt:

Ammonis Cornu læve spinà eminente seu cristatum marcasitaceum mediocre, duorum anfractuum, umbilico pertuso, primo orbe valde ventricoso, & juncturis foliacea elegantissima foliis Petroselini haud dissimilia exprimentibus. *Tab.* 23.

Tab. 23.

Locus.

Transmissum est ex alpibus Subsylvaniæ, in quibus repertum est, & magnitudine suâ figuram adæquat.

GENUS III.

Ammonis Cornu Lave Spinà seu Cristà eminente dentatà.

Spina Eminens seu Cristà dentata.

QUando Spina Cornuum Ammonis eminens sive Crista per plures incisuras in dentes dividitur, tunc Spina seu Crista dentata vocatur: hujusmodi Cornuum Ammonis

Species.

Species sunt:

Ammonis Cornu læve spinà eminente seu cristà dentatà minus, umbilico utrinque leviter prominulo, unius tantùm anfractùs, & reticulato quodam opere depictum.

Umbilicus prominulus.

Umbilicus prominulus observatur tantùm in Cornubus Ammonis unius anfractùs, & tunc principium primi orbis tam latum est, ut ad centrum lapidis usque pertingat, & ibi promineat. *Vid. Tab.* 23. *lit. B.* Opus verò reticulatum consistit in fluore quodam tenuissimo selenitico per superficiem Cornu Ammonis diffuso. Repertum est in monte Legerio.

Opus reticulatum.

Tab. 23.

Ammonis Cornu læve spinà eminente seu cristà dentatà marcasitaceum minus compressum, duorum anfractuum. *Tab.* 23. *n.* 2.

Ammonis Cornu læve spinà eminente seu cristà dentatà marcasitaceum minus compressum, duorum anfractuum, glebâ minerali obductum.

Ammonis Cornu læve spinà eminente seu cristà dentatà marcasitaceum minus

Cornua Ammonis Læuia
Spinà æquali sub-
rotundà.

Spinà Eminente.

Spinà Dentatà.



Tuberculis donata.



nus compressum, unius anfractùs. *Tab.* 23. *n.* 1.

Omnia ista Cornua Ammonis magnitudine cum figuris conveniunt, & ex iisdem locis, è quibus priora, apportata sunt. *Locus.*

CAPUT OCTAVUM.

Ammonis Cornua Tuberculis insignita.

POst Ammonis Cornua lævia enarranda sunt ea, quæ in ambitu orbis externi tuberculis rotundis verrucarum in modum insignita sunt: germanicè: *Scher-oder Zieherhœrner mit Knœpflenen gezieret*: Quorum sit *Tubercula Cornuum Ammonis.*

GENUS I.

Ammonis Cornu Tuberculis in interiore orbium ambitu sitis.

PEr Interiorem orbium ambitum intelligitur illa orbium superficies, quæ ventri Cornu Ammonis proximior est, exterior verò orbium ambitus est illa superficiei pars, quæ spinæ vicinior est. *Internus orbiũ ambitus. Externus.*

Species: *Species.*

Ammonis Cornu tuberculis in interiore orbium ambitu horizontaliter sitis mediocre duorum anfractuum. *Tab.* 23. *fig.* 1. Tab. 23.

Ammonis Cornu tuberculis in interiore orbium ambitu horizontaliter sitis minus duorum anfractuum. *Tab.* 23. *fig.* 2.

Hæc duo Cornua Ammonis formà & magnitudine cum figuris conveniunt, & inventa sunt in montibus prope *Luggeren*. *Magnitudo. Locus.*

GENUS II.

Ammonis Cornu Tuberculis in exteriore orbium ambitu sitis.

SPecies:

Ammonis Cornu tuberculis in exteriore orbium ambitu horizontaliter sitis minus duorum anfractuum. *Species.*

Convenit magnitudine cum præcedente minore, & in eodem loco repertum fuit. *Magnitudo. Locus.*

CAPUT NONUM.

Ammonis Cornua Striata striis integris.

PEr Strias Cornuum Ammonis intelliguntur eminentiæ transversim per eorum orbium ambitum linearum instar excurrentes, quæ, si in suo cursu vel versus finem non dividantur, integræ vocantur, & è contrario divisæ: Germanis: *Scher-oder Zieherhœrner mit gantzen strichen.* *Cornuum Ammonis Stria.*

GE-

GENUS I.

Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam subrotundam abeuntibus.

Species. SPecies:

Ammonis Cornu striatum striis integris tenuissimis obliquè in spinam subrotundam, & quasi planam abeuntibus minus, subcinereum, duorum anfractuum, orbibus teretibus, umbilico pertuso.

Tab. 24. Convenit cum *figurâ* 4. *Tab.* 24. magnitudine, & inventum est in monte Legerio.

Ammonis Cornu striatum striis integris undulatis, & in spinam subrotundam abeuntibus mediocre marcasitaceum compressum, trium anfractuum. Allatum est è montibus Rhæticis.

GENUS II.

Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam acutam abeuntibus.

Spina Cornu Ammonis Acuta. SPina Acuta tantùm observatur in Cornubus Ammonis compressis, dum nimirum eorum corpora paulatim ita attenuantur, ut in peripheriam acutam desinant, quæ Spinam Acutam constituit.

Species. Species:

Ammonis Cornu striatum striis integris undulatis, & in spinam acutam abeuntibus majus, unius tantùm anfractûs, compressum, juncturis nubes elegantissimas exprimentibus.

Tab. 27. Hic lapis coloris est subcinerei, & magnitudine suâ æquat *figuram Tab.* 27. *n.* 6. Inventus est in monte Randio, & *à D. D. Johanne de Muralto* quoque repræsentatus in *Eph. Germ. Ann.* 5. *&* 6. *pag.* 44. *n.* 13.

Ammonis Cornu striatum striis integris undulatis in spinam acutam abeuntibus majus, unius tantùm anfractûs compressum, per medietatem ambitûs sulco horizontali insignitum.

Hoc Cornu Ammonis cum magnitudine primæ speciei convenit.

Ammonis Cornu striatum striis integris undulatis in spinam acutam abeuntibus mediocre unius tantùm anfractûs compressum per medietatem ambitûs sulco horizontali insignitum, juncturis foliacea pulcherrima exprimentibus. *Tab.* 24. *fig.* 2. quam mole suâ semel superat.

Tab. 24. Ambo inventa sunt in monte Randio.

GENUS III.

Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam eminentem abeuntibus.

Species. SPecies:

Ammonis Cornu striatum striis integris densioribus, & valde elevatis in spinam eminentem abeuntibus mediocre, quatuor anfractuum.

Inventum est in montibus comitatûs Badensis circa *Luggeren* & *Boetstein.*

Ammonis Cornu striatum striis integris undulatis in spinam eminentem abeuntibus mediocre, compressum marcasitaceum, trium anfractuum. E montibus comitatûs Neocastrensis apportatum est.

GE-

24

Cornua Amonis Striata strys integris.



Spinà acutà. 2.



3
Spinà Sulcatà.

4
Spinà planà.
qua-si



vel subrotundà.

GENUS IV.

Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam sulcatam abeuntibus.

SPina Sulcata rarò observatur in Cornubus Ammonis, & illam efformat sulcus integræ peripheriæ orbis extimi impressus. *Spina Sulcata.*

Species: *Species.*

Ammonis Cornu striati striis valde densis & eminentibus undatim incurvatis, & in spinam sulcatam abeuntibus marcasitacei frustum. *Tab.* 24. *fig.* 3. Tab. 24.

Jnventum est in montibus comitatûs Neocastrensis. *Locus.*

GENUS V.

Ammonis Cornu Striatum striis integris in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus.

SPina inter duos sulcos eminens vocatur, cùm peripheria extimi Cornuum Ammonis orbis in duos sulcos desinat septo eminentiore illos distinguente. *Vid. Tab.* 24. *Spina inter duos sulcos Eminens.* Tab. 24.

Species: *Species.*

Ammonis Cornu striatum striis integris valde elatis, & in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus maximum, subcinereum, sex anfractuum, juncturis foliacea ad tertium orbem usque exprimentibus. *Tab.* 24. *fig.* 1. Tab. 24. *Descriptio Cornu Ammonis maximi octodecim librarum.*

Majus Cornu Ammonis isto nunquam vidi; diametro enim suo colligit pedem integrum, & crassitie suà tertiam pedis partem, librasque octodecim ponderat. Inventum est in montibus Sylvæ Herciniæ circa pagum *Bœdmatingen*, ac donatum Illustriss., & Excellentiss. D. COMITI DE TRAUTMANSDORF Ad Respublicas Helveticas Oratori Cæsareo Extraordinario à Reverendiss., ac Ampliss. D. AUGUSTINO Celeb. Monast. Sancti Blasii Abbate.

Ammonis Cornu striatum striis integris valde elatis, & in tubercula, ubi ad spinam inter duos sulcos eminentem pertingunt, elevatis majus, quatuor anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis integris densioribus, & valdè elatis in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus mediocre, quinque anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis integris densioribus, & in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus mediocre, quatuor anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis integris valdè elatis, & in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus marcasitaceum mediocre, duorum anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis integris undulatis, & in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus marcasitaceum mediocre, compressum, trium anfractuum umbilico pertuso.

Cornua Ammonis lapidea inventa sunt in monte Legerio, Randio & aliis comitatûs Badensis; marcasitacea verò ex alpibus apportata sunt, nec non è montibus comitatûs Neocastrensis. *Locus.*

C A-

CAPUT DECIMUM.

Ammonis Cornua Striata striis divisis.

Quid sint Striæ divisæ.

QUid sint Striæ divisæ, jam superiùs dictum est, propterea statim enumerationem generum aggredimur. Germanis: *Scher-oder Zieherhœrner mit zertheilten strichen.*

GENUS I.

Ammonis Cornu Striatum striis divisis in spinam subrotundam abeuntibus.

Species.

SPecies:

Ammonis Cornu striatum striis densioribus divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus maximum, quinque anfractuum. *Tab.* 25. *n.* 1.

Tab. 25.

Cornu Ammonis duodecim librarum.

Hoc ipsum Cornu Ammonis adducit etiam *Doctissimus D. Joan. de Muralt. Eph. Germ. loc. cit. fig.* 10. Diametro suo colligit tres pedis Augustani partes, crassitie verò quartam adæquat, duodecim libras ponderat, & inventum est in monte Randio.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus majus, quatuor anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus majus, quatuor anfractuum, juncturis foliacea elegantissima exprimentibus.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus majus, quatuor anfractuum, cujus extimus tantùm adest orbis. *Tab.* 27. *n.* 8.

Tab. 27.

Hoc Cornu Ammonis ideò in figurà repræsentare volui, ut ex eà appareat dispositio orbium in matrice suà sitorum, ipsiusque matricis interna facies, de quà infra plura dicentur: Lapis figuram expressam ter superat.

Ammonis Cornu striatum striis rarioribus divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus mediocre, quatuor anfractuum, umbilico pertuso. *Tab.* 25. *n.* 2. Cum figurà in omnibus convenit.

Tab. 25.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus mediocre, quatuor anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis circa medium ambitùs crassioribus, & valdè elevatis, dein divisis ac tenuissimis in spinam subrotundam abeuntibus minus, trium anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis divisis & in spinam subrotundam abeuntibus minus, trium anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus minus, duorum anfractuum, umbilico pertuso.

Ammonis Cornu striatum striis obliquè directis, & quasi in se contortis, atque in tenuissimas divisis in spinam subrotundam abeuntibus in arcasitaceum mediocre, trium anfractuum. *Tab.* 25. *n.* 4.

Tab. 25.

Ammonis Cornu striatum striis obliquè directis, & quasi in se contortis, atq;

in

Cornua Amonis Striata Strys Diuisis.



6.
Strys Vndulatis.



7.
Strys versus centrum densissimis.

8.



Strys diuulsis.
9.



in tenuissimas divisis, in spinam subrotundam abeuntibus marcasitaceum minus, quatuor anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis obliquè directis, & quasi in se contortis, atque in tenuissimas divisis in spinam subrotundam abeuntibus marcasitaceum minus, trium anfractuum.

Ammonis Cornu striatū striis in suo principio crassioribus, & quasi in flammas elatas circa spinam erumpentibus, subsequentibus verò in tenuissimas divisis, & in spinam subrotundam & quasi planam abeuntibus marcasitaceum mediocre, trium anfractuum erucam convolutam elegantissimè referens. *Tab.* 26. *n.* 2. Cum figurà prorsus convenit. Tab. 26.

Ammonis Cornu striatum striis in tenuissimas divisis, & in extimo orbe duobus in locis divulsis, in spinam subrotundam abeuntibus marcasitaceum mediocre, trium anfractuum. *Tab.* 27. *n.* 9. Tab. 27.

Ammonis Cornu striatum striis in tenuissimas divisis, & in extimo orbe duobus in locis divulsis, in spinam subrotundam abeuntibus marcasitaceum minus, trium anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis in tenuissimas divisis, & in extimo orbe duobus in locis divulsis, in spinam subrotundam abeuntibus marcasitaceum minus ovale, trium anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus marcasitaceum mediocre, trium anfractuum, umbilico pertuso.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus marcasitaceum mediocre, duorum anfractuum, umbilico pertuso.

Omnia hæc Cornua Ammonis iisdem in locis cum prioribus inventa sunt.

GENUS II.

Ammonis Cornu Striatum striis divisis, in spinam acutam abeuntibus.

SPecies sunt. *Species.*

Ammonis Cornu striatum striis undulatis divisis, & in spinam acutam abeuntibus majus valdè compressum subcinereum unius anfractùs, juncturis nubes elegantissimas exprimentibus. *Tab.* 27. *n.* 6. Figuram tertiâ parte superat, & in monte Randio repertum est. Tab. 27.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam acutam abeuntibus marcasitaceum mediocre, trium anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis frequentioribus, ac tenuioribus divisis, & in spinam acutam abeuntibus marcasitaceum mediocre, trium anfractuum valdè compressum.

Ammonis Cornu striatum striis versus centrum paucioribus, sed crassioribus, & dein in plures alias divisis, in spinam acutam abeuntibus marcasitaceum mediocre compressum, unius anfractùs. *Tab.* 27. *n.* 7. Tab. 27.

Ammonis Cornu striatum striis versus centrum paucioribus, sed crassioribus, & in plures alias divisis, in spinam acutam abeuntibus marcasitaceum minus compressum, duorum anfractuum, primo orbe latiore.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam acutam abeuntibus marcasitaceum minus, duorum anfractuum.

Locus. Loca nativa horum Cornuum Ammonis eadem sunt, quæ præcedentium.

GENUS III.

Ammonis Cornu Striatum striis divisis, in spinam eminentem abeuntibus.

Species. SPecies:

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam eminentem abeuntibus mediocre, quatuor anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam eminentem abeuntibus minus, quatuor anfractuum.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam eminentem abeuntibus minus, dimidii tantùm anfractùs.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam acutam nonnihil nodosam abeuntibus marcasitaceum mediocre, trium anfractuum. *Tab.* 25. *n.* 3.

Tab. 25.

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam eminentem nonnihil nodosam abeuntibus marcasitaceum minus, duorum anfractuum. In iisdem locis inveniuntur.

Locus.

GENUS IV.

Ammonis Cornu Striatum striis divisis, & in spinam eminentem dentatam abeuntibus.

Species. SPecies:

Ammonis Cornu striatum striis in flammas elatas circa spinam erumpentibus, ac divisis, & in spinam dentatam abeuntibus marcasitaceum mediocre compressum, duorum anfractuum, primo orbe latiore. Ex alpibus allatum est.

Locus.

GENUS V.

Ammonis Cornu Striatum striis divisis, in spinam sulcatam abeuntibus.

Species. SPecies:

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam sulcatam abeuntibus mediocre. *Tab.* 25. *n.* 5. Repertum est in monte Legerio frustum tantùm, integrum simile nunquam vidi.

Tab. 25.

GENUS VI.

Ammonis Cornu Striatum striis divisis, in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus.

Species. SPecies:

Ammonis Cornu striatum striis divisis, & in spinam inter duos sulcos eminentem abeuntibus mediocre, trium anfractuum. Rarissimus quoque est hic lapis, & in montibus comitatùs Badensis prope *Bœtstein* inventus.

Locus.

26.

Cornua Aõnonis Striata
Strys diuisis cum præcedente tuberculo.



GENUS VII.

Ammonis Cornu Striatum ſtriis diviſis præcedente tuberculo ſubrotundo.

SPecies: *Species.*

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis elatis, & diviſis præcedente tuberculo ovato & ſubrotundo maximum, trium anfractuum. *Tab. 26. n. 1.* Tab. 26.

Hoc Cornu Ammonis mole ſuà ampliſſimum eſt; etenim diametro ſuo duas partes pedis Auguſtani colligit, & craſſitie ſupra tertiam ejus partem. Libras ponderat quindecim, & inventum eſt cum alio paululum minore ejuſdem ſtructuræ, & faciei, matrici ſuæ inferiùs *in Tab. 28.* depictæ adhuc immerſum, in lapidicinà Badenſi prope ipſam urbem. *Cornu Ammonis quindecim librarum.*

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis in tenuiſſimas diviſis præcedente tuberculo ſubrotundo mediocre, quatuor anfractuum. Hoc è montibus comitatûs Badenſis prope *Luggeren* allatum eſt. *Locus.*

GENUS VIII.

Ammonis Cornu Striatum ſtriis diviſis præcedente lineà eminente, aliàs Concameratum dictum.

AMmonis Cornua ſtriis diviſis præcedente lineà eminente omnia ſunt Concamerata, & propterea etiam illa ita vocabimus. Hæc linea horizontalis eſt, & in extremitate extimi ambitûs verſus ſpinam ſita, ut non niſi in extimo orbe obſervetur. Poſt hanc ſtriæ in minimas & tenuiſſimas alias dividuntur, & in ſpinam ſubrotundam abeunt. *Cornu Ammonis ſtriis diviſis præcedẽte lineà.*

Species. *Species.*

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis præcedente lineà eminente diviſis Concameratum maximum, quinque anfractuum.

Hoc Cornu Ammonis diametro dimidium pedem cum pollice complet, craſſitie verò quartam pedis partem æquat, librasque ſeptem ponderat; inventum eſt in montibus comitatûs Badenſis prope *Bœtſtein & Luggeren*. *Cornu Ammonis ſeptem librarum.*

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis præcedente lineà eminente diviſis Concameratum majus, quatuor anfractuum. *Tab. 26. n. 4.* *Locus.*

Hic lapis tertiam pedis partem diametro æquat, & craſſitie duos pollices; in ejus principio *n. 4.* primum loculamentum ſpiculis cryſtallinis undique obſitum in conſpectum venit: iiſdem in montibus repertum eſt. Tab. 26.

Ammonis Cornu ſtriatum ſtriis præcedente lineà eminente diviſis Concameratum mediocre verrucoſum, quatuor anfractuum. *Tab. 26. n. 3.* Tab. 26.

Hoc Ammonis Cornu à me inventum eſt in monte Legerio, integra ejus externa facies lineà eminente comprehenſa papillis ſubrotundis referta eſt, quæ verrucarum minorum in manibus quandoque apparentium inſtar aſperæ ſunt, & ſtriis nondum diviſis, & adhuc integris inſident. Figuram in Tabulà expreſſam magnitudine ſuà ſemel ſuperat. *Cornu Ammonis verrucoſi deſcriptio & locus.*

CAPUT UNDECIMUM.

Aliquæ Cornuum Ammonis matrices describuntur.

Matrix Cornuum Ammonis, aliorumq; Lapidum Figuratorum.

POst enumeratas Cornuum Ammonis species pauca addenda sunt de eorum matricibus, in quibus inveniuntur: Matrix Cornuum Ammonis, ut & aliorum Lapidum Figuratorum vocatur illa cavitas lapidum, seu alterius materiæ, in quà Lapides Figurati tanquam in primo & nativo suæ generationis loco reperiuntur, & cui plerumque lapidis figura tanquam alicui formæ, seu typo impressa observatur: vulgò: *Ein Steinmutter*.

Differētia.

Hujusmodi autem matricum tantùm tres diversas species depingi curavi, quia secundū harum structurā reliquæ omnes formatæ sunt; nam si quis cunctas differentes matricum species adducere vellet, tot enarrandæ essent, quot hucusque Cornuum Ammonis species descriptæ sunt.

Descriptio.

Circa matrices Cornuum Ammonis, aliorumque Lapidum Figuratorum notandum est primò: Quòd, cùm matrici tanquam alicui typo, seu formæ impressa sit figura Lapidis Figurati, omnia figuræ lineamenta, quæ in Lapide Figurato extra superficiem eminent, in matrice quasi insculpta sint, & excavata appareant, & econtrà, quæ in superficie vel figurà Lapidis Figurati excavata observantur, in matrice extra superficiem emineant, & elevata deprehendantur. Sic in figuris *Tab.* 28. *n.* 3. *&* 4. centrum matricis eminet, quod in Cornubus Ammonis depressum est, striæ & tubercula in superficie Cornuum Ammonis elevata vestigia suæ figuræ in matrice excavata relinquunt.

Tab. 28.

Matrices marcasitacea rarissima sunt.

Notandum Secundò: Quòd, licet Cornua Ammonis marcasitacea frequenter occurrant, tamen eorum matrices solæ nunquam, vel rarò inveniantur, quod saltem mihi hucusque observare non licuit.

Species.

Species:

Matricum Cornuum Ammonis.

Matrix Cornuum Ammonis è durissimo lapide subcinerei coloris conflata, in quà quamplurima Cornua Ammonis adhuc integra, nonnulla verò mutilata, vel fracta apparent, nec non copiosæ matrices fætu suo orbatæ hinc inde impressæ extant. *Tab.* 28. *n.* 1.

Tab. 28.

Matrix Cornu Ammonis striati striis divisis, & in spinam subrotundam abeuntibus majoris. *Tab.* 28. *n.* 2.

Matrix Cornu Ammonis striati striis præcedente tuberculo divisis maximi. *Tab.* 28. *n.* 3.

Pulcherrima matrix Mediolani conservatur.

Præter adductas matricum species Mediolani vidi apud Illustrissimum D. MARCHIONEM DE MAGENTA pulcherrimum Cornu Ammonis majus striatum striis divisis in spinam subrotundam abeuntibus medio durissimi silicis inhærens.

Admiranda matrix quæ olim Lucernæ

Ad matrices Cornuum Ammonis referendus quòque videtur lapis, quem describit; *Celeb. P. Kirch. Mund. subter. lib.* 8. *sect.* 2. *cap.* 2. sequentibus verbis: Est & hoc admiratione dignum, ann. 1659. in Helvetiâ prope Lucernam intra montem vulgò: *Gottesvvald* dictum lapidem inventum fuisse in spi-

ras

28.

Matrices Cornuum Amonis.

1



2.



3.



ras convolutum, in cujus centro figura DEIPARÆ non sine stupore aspectantium apparuerit, quam & typis addidit una cum historicà relatione Perillustris & Generosus Dominus de Sonnenberg; figura sequitur, quam & inter ea ponimus, quæ divinum quid redolent; hæc dictus Author. Lapidem nunquam vidi, &, ut audio, jam ante plures annos alicui magno Principi pro pretioso dono transmissus fuit; sed alius mihi fuit ostensus Altorfii in Helvetià, qui revera erat Matrix Cornu Ammonis nigricans, & micis splendentibus hinc inde imbuta, quæ ob cavitates à centro ad peripheriam extensas & à striis contenti fætùs relictas radios ita dispositos præseferebat, prout imaginibus Sanctorum apponi, vel appingi solent. Hi ansam credendi præbebant, in internà illà centrali, & asperà superficie imaginem alicujus Sancti repræsentari, & propterea illum Reliquiarum instar capsulæ auro & argento ornatæ inclusum conservant.

Helvetiorum erat, & à P. Kirchero describitur.

Alia non minus rara Altorfii habetur.

Matrices Cornuum Ammonis iisdem in locis occurrunt, in quibus Cornua Ammonis hucusque adducta inventa fuisse diximus.

Locus.

Pro complemento hujus tractatùs de Cornubus Ammonis adverti debet, omnia Cornua Ammonis non minùs, ac reliquos Lapides Figuratos secundum pedem Augustanum, qui duodecim pollices continet, & cujus media pars *in Tabulà* 25. exprimitur, mensurari posse; & pro intelligentià magnitudinum in hoc tractatu passim adductarum sciendum est, Cornua Ammonis lapidea majora dicta diametro suo medium pedem non superare, nec mediocria quartam partem, & quæ minora dicuntur, pollicem adæquare, marcasitacea autem mediocria Cornubus Ammonis lapideis minoribus similia esse, & ita de reliquis judicandum erit. Colorem quod attinet, omnia Cornua Ammonis lapidea ad subcinereum vergunt, marcasitacea verò plerumq; marcasitaceo colore imbuta sunt, nunc magis, nunc minùs flavescente, ac splendente.

Explicatio magnitudinũ Cornuũ Ammonis.

Eorumque colorum.

CAPUT DUODECIMUM.

Lapides Figurati Intorti serpentum in modum in se convoluti, & squamati: Nautilitæ dicti.

NAutilites nomen suum trahit à Nautilo *Aristotelis* secundo, cujus Concham præsefert non solùm externà facie, sed internà quoque structurà, quæ non minùs, ac illa Conchæ in suas concamerationes dividitur per septa transversa incurvata, & in superficie lapidis squamarum in modum coalescentia, cum suo siphunculo concamerationes pervadente. Lapis quoque unicum habet anfractum, sicuti ipsa Concha, quæ à *Bellonio* ita describitur. Secundam Nautili Conchæ speciem ab *Aristotele* traditam esse hanc puto, quam nostri artifices in magno pretio ad vasa ditioribus abacis accommoda conficienda habere solent &c. & paulò inferiùs. Murrhinum igitur Nautilum hanc dicere poterimus. Hujus amplitudo cum superiore (Nautili primo genere) convenit. Sed paulò magis est crassus, prior præterea Pectunculorum more striatus est, hic omninò glaber (septis nimirum arctissimè & æqualiter unitis) parte internà infinita habens interstitia,

Nautilites

Et Nautili Concha.

ſtitia, undecunque nitidus, ac mirà colorum varietate ſplendens. Subinde circumagentibus ſe in purpuram, candoremque maculis. Qui plura de Nautilo deſiderat, conſulat *Aldrovandum de Teſtac. lib. 3. cap. 3. pag. 265. Geſner. de Aquat. lib. 4. pag. 734. & Bonanni nella ricreat. dell'occhio, e della mente part. 2. pag. 136.*

Concha dicitur græco nomine ναυτίλος Piſcem, & Nautam ſignificans, quia piſcis, qui eſt Polypi ſpecies, in conchà deliteſcens per mare inſtar nautæ navigat: à Geſnero germanicè: *Ein Fahrkuttel oder Schiffkuttel* vocatur, adeoque & noſter lapis *ein Fahrkuttel-oder Schiffkuttel-ſtein* appellari debet, niſi velimus cum *Geſnero fol.* 284. negare Cochleam margaritiferam *Rondeletii* eſſe ſpeciem Nautili ſecundam *Ariſtotelis*, ſed eſſe Nautilum ab *Aldrovando, & Bonanno* deſcriptum.

Ratio, cur Nautilites non ſit glaber, ſicuti Cõcha

Unicum igitur diſcrimen inter dictum Nautilum, & noſtrum Nautilitem intercedit, quòd nimirum Concha ſit omninò glabra, in lapide verò ſepta ſquamarum in modum extra planam ſuperficiem emineant, quod autem ſolummodò materiæ craſſiori ſeu denſiori, è quà ſepta in lapide conflantur, adſcribendum puto, propter quam tam æqualem coalitum formare nequeunt. Videtur iterum novum, quòd in terrà lapides generentur, argumentum, nam ſi concha Nautili eſſet petrificata, tunc Nautilites deberet etiam, quemadmodum eſt Concha, glaber exiſtere.

GENUS UNICUM.

Nautilites Squamatus ſine ſtriis.

Species.

SPecies:

Tab. 29. Nautilites Squamatus ſine ſtriis major ſubcinereus, unius anfractùs. *Tab. 29. n. 1.*

Nautilites Squamatus ſine ſtriis mediocris ſubcinereus, unius anfractùs.

Nautilites Squamatus ſine ſtriis maximus ſubinereus cum ſiphunculo concamerationes pervadente. *Tab. 29. n. 2.*

Magnitudo, & locus.

Primus & ultimus figuras expreſſas medietate ſuperant, omnes tres autem inventi ſunt in montibus comitatùs Badenſis prope *Bœtſtein & Luggeren.*

29.

Nautilites.

1.



Nautilites Maximus
cum Siphunculo Concamerationes peruadente.

2.





LIBER QUINTUS.

IN QUO DESCRIBITUR CLASSIS QUINTA COMPLECTENS LAPIDES FIGURATOS INTORTOS TURBINATOS, QUORUM ORBES COCHLEARUM IN MODUM PRODUCUNTUR, ET COCHLITÆ VOCANTUR.

COchlitæ nomen suum trahunt à Cochleis, quæ Concharum sunt species turbinatæ, quia figurà suà earum conchas intortas, & turbinatas præseferunt, ideò etiam germanicè: *Schneckenstein* vocantur. Quemadmodum autem Cochleæ propter diversam structuram, & spirarum dispositionem diversa quoque genera constituunt, & varia sortiuntur nomina, ita non minùs Lapides Figurati, Cochlitæ dicti, diversimodè audient, prout nimirum figurà suà nunc hanc, nunc illam Cochlearum speciem præseferunt, ut ex enumeratione generum patebit. Antequam autem hanc aggrediamur, pauca de Cochlitarum generatione proponenda sunt. *Cochlitæ quid sint.*

CAPUT PRIMUM.

Pauca quædam de generatione Cochlitarum secundum Diluvianos proponuntur.

PRima & communior opinio est, Cochleas in Universali Cataclysmo ab aquà in terram transportatas materiâ terrestri (pisce nimirum priùs corrupto) impletas fuisse, quæ tractu temporis petrificata, nunc testæ per tantam annorum seriem quoque consumptæ, tanquam alicujus formæ seu typi figuram præsefert. Fatendum est, hanc opinionem omnium esse captu facillimam, præsertim si solummodò intelligantur Cochlitę læves, cùm plerumque Concharum interna facies lævis sit, sed, an simili modo etiam possint Cochlitæ striati aut tuberculis donati produci, majus subest dubium; Etenim figuram suam striatam, aut tuberculis donatam ab internà Cochleæ facie, quæ plerumque omninò lævis, & polita est, acquirere nequeunt, multò minùs ab externà testæ parte, quæ materiæ intùs contentæ nil de structurà suà communicare potest. *Generatio Cochlitarũ secundum Diluvianos exponitur.*

Ad evitandam hanc difficultatem alia exorta est opinio, quæ vult, terram in cavitate Cochleæ contentam unà cum Cochleà in lapidem conversã esse, & sic externam Cochleæ faciem quoque, sive striata sit, sive tuberculis donata, optimè conservatam fuisse, sed, si hæc opinio vera esset, tunc in omnibus Cochlitis deberent deprehendi vestigia Concharum, sive testarum, hoc autem non fit, cùm ferè omnes Cochlitæ tam striati, quàm tuberculis donati è puro lapide calcario, aut saxo arenaceo, vel etiam marcasità constent, & nec minimas alicujus testæ reliquias contineant. Unde *Alia Diluvianorum opinio.*

non

Verosimilius videtur Cochlitas in terrà à peculiari semine generari.

non sine ratione conjecturandum est, plerosque hujusmodi lapides in terrâ à peculiari semine generari: ut taceam, quòd, si materia terrestris cavitati Cochleæ inclusa unà cum testâ in lapidem converteretur, deberent ad minimum illæ Conchæ partes, quæ intra spiras lapideas delitescunt, observari, intra quas tanquam in ipsâ substantiâ lapideâ sepultæ per plurimos annos à corruptione præservari potuissent, quod argumentum non minùs respicit Cochlitas læves, quàm striatos. Harum autem partium unquam nec minimum indicium comparuit.

Cochlitarũ Vires hucusq; incognitæ.

In Lapidibus Figuratis hujus Classis nullas habemus adhuc perspectas virtutes, & loca nativa in fine enumerationis specierum cujuscunque generis adducentur.

TABULA GENERICA.

Lapidum Figuratorum Quintæ Classis.

- Cochlitæ
  - Mucrone elongato
    - Cochlites Terrestris.
    - Cochlites Umbilicatus.
    - Neritites.
    - Trochites.
    - Buccinites.
    - Turbinites.
  - Ore elongato
    - Cochlites Pyramidalis seu Cylindroidæus.
    - Echinophorites.
  - Mucrone & Ore simul elongatis.
    - Strombites.

CAPUT SECUNDUM.

Cochlitæ Mucrone elongato.

Quid sit Mucro elõgatus.

MUcro elongatus vocatur illa spiralis Cochlitarum pars, quæ paulatim angustata in acumen desinit, sive postea sit acutum, sive obtusum, seu est ipsa productio orbium elongata, & in acumen desinens. *Schneckenstein mit ausgestrecktem gewvindt.*

GE-

30.

Cochlitæ Terrestres
ore ouali et Subrotundo.



GENUS I.

Cochlites Terrestris.

COchlitæ Terrestres sunt Lapides Figurati, qui figurà suà Cochleas Terrestres præseferunt, hæ autem inter se non differunt, nisi colore & magnitudine, & quandoque etiam striis, seu fasciis spiralibus. *Ein Erdt-Schneckenstein.* *Cochlites Terrestris.*

Species sunt: *Species.*

Cochlites Terrestris lævis maximus quatuor spirarum, ore oblongo & ovato, orbibus subrotundis, mucrone obtuso. *Tab.* 30. *fig.* 2.

Magnitudine cum figurà convenit, & sublutei est coloris. Inventus est cum subsequente in montibus comitatùs Badensis prope *Luggeren*.

Cochlites Terrestris lævis maximus trium spirarum, ore & orbibus rotundis, mucrone acuminato.

Cochlites Terrestris lævis major quatuor spirarum, ore oblongo & ovato, orbibus angulosis, mucrone acuminato. *Tab.* 30. *fig.* 2.

Cochlites Terrestris lævis mediocris trium spirarum, ore oblongo & ovato, orbibus angulosis, mucrone obtuso.

Cochlites Terrestris lævis mediocris trium spirarum, ore subrotundo, orbibus angulosis, mucrone obtuso.

Cochlites Terrestris lævis minor quinque spirarum, ore oblongo, orbibus rotundis, & sibi æqualiter adplicitis, mucrone obtuso.

Cochlites Terrestris lævis minor quatuor spirarum, ore & orbibus subrotundis, mucrone acuminato. *Tab.* 30. *fig.* 6. Hic lapis magnam affinitatem habere videtur cum Cochlitis *Listeri*.

Cochlites Terrestris lævis minor ventricosus duarum spirarum nonnihil compressarum, ore oblongo, mucrone valdè obtuso. *Tab.* 30. *fig.* 5.

Cochlites Terrestris lævis minimus ventricosus trium spirarum, ore subrotundo, mucrone acuminato. *Tab.* 30. *fig.* 7.

Cochlites Terrestris lævis marcasitaceus minor trium spirarum, ore ac orbibus rotundis, mucrone acuminato.

Cochlites Terrestris striatus striis exilibus horizontalibus mediocris trium spirarum, ore subrotundo, mucrone obtuso.

Cochlites Terrestris striatus striis exilibus transversis minor duarum spirarum, ore subrotundo orbibus triangularibus, mucrone obtuso.

Omnes istæ Cochlitarum species, aut sunt subluteæ aut subcinereæ, & repertæ in montibus comitatus Badensis prope *Luggeren & Bætstein*, in monte Randio, & Legerio, excepto Cochlite marcasitaceo, qui è comitatu Neocastrensi allatus fuit. *Loca nativa.*

GENUS II.

Cochlites Umbilicatus.

COchlitæ Umbilicati sunt Lapides Figurati, qui figurà suà Cochleas Umbilicatas præseferunt, id est, earum more præter foramen ipsarum spirarum majus foramine centrali seu profundo ad acumen mucronis, *Cochlites Umbilicatus.*

seu extremitatem umbonis penetrante donantur, circa quod tanquam suum centrum seu περικόκλιον spiræ Cochlitarum convolvuntur. *Vid. Tab.* 30. *fig.* 3. & 4. *Rondeletius* sequentem Cochlearum Umbilicatarum descriptionem affert ex *Ciceronis* loco, qui est *Libro* 2. *de Oratore*, Umbilicos Concharum, sive Cochlearum species esse, asserit, id, quod verum esse, indicat etiam (inquit) ipsa rerum natura, quæ nobis à Turbinatis, Conchis, Cochleisque omnibus speciem diversam exhibet earum, quæ præter foramen illud, quo Cochleæ saxis inhærent, quoque corpus exerunt, alterum habent, umbilico ita similem, ut nullus sit, qui has viderit, qui negare possit, Umbilicatos meritò vocari. Id foramen profundum convolutionum veluti centrum est, vel circa quod anfractus Cochleæ convolvuntur, veluti circa περικόκλιον, hàc de causà Umbilicus vocatur: nam methaphoricè Umbilicus dicitur, quidquid in aliquà re medium est.

περικόκλιον.

Cochlearũ Umbilicatarum descriptio.

Umbo. Paulo ante mentionem fecimus Umbonis, qui nil aliud est, quàm centrum externum spirarum Cochlitæ quasi in se convolutarum, ubi unà solùm leviter eminet super alteram, & tantùm leve aliquod convexum, convexo alicujus clypei haud absimile, cujus centrum seu medium quoque umbo dicitur, describunt. Quando verò spiræ ita producuntur, ut earum dispositio quasi speciem alicujus coni constituat, tunc illa productio, ejusque extremitas mucro appellatur. *Ein Nabel-Schneckenstein.*

Et Mucro.

Species. Species sunt:

Tab. 30. Cochlites Umbilicatus lævis mediocris trium spirarum, ore oblongo, orbibus compressis, & mucrone obtuso. *Tab.* 30. *fig.* 3.

Cochlites Umbilicatus lævis mediocris cinereus quinque spirarum, ore ovato, orbibus compressis, mucrone acuminato. *Tab.* 30. *fig.* 4.

Cochlites Umbilicatus lævis mediocris quatuor spirarum ore ovato, orbibus rotundis, mucrone acuminato.

Cochlites Umbilicatus lævis minor quinque spirarum, ore Rhomboidali orbibus valdè compressis, mucrone acuminato.

Mucro acuminatus. Mucro Cochlitarum acuminatus est ille, ad cujus centrum duæ rectæ lineæ ex oppositis lateribus juxta extimam spirarum superficiem ductæ coeuntes angulum acutum efformant, si verò describunt angulum obtusum, mucro obtusus erit. *Vid. fig.* 2. & 3. *Tab.* 30.

Mucro obtusus.

Tab. 30. *Cochlites mucronatus.* Cochlitæ Umbilicati cinerei è proximis montibus Urbi S. Galli allati sunt, reliqui verò occurrunt in iisdem locis, in quibus priores reperti sunt. Nunc sequuntur Species Cochlitarum, qui umbone donati sunt, & ideò Umbonati vocari possent, sicuti reliqui, qui in mucronem desinunt, Mucronati.

Species.

Tab. 31. Cochlites Umbilicatus lævis major cinereus quatuor spirarum, umbone parum eminente. *Tab.* 31. *fig.* 1.

Cochlites Umbilicatus lævis major subflavus trium spirarum, umbone parum eminente.

Cochlites Umbilicatus lævis major subcinereus duarum spirarum, umbone parum eminente.

Cochlites Umbilicatus lævis mediocris cinereus quatuor spirarum, umbone parum eminente. *Tab.* 31. *fig.* 2.

Cochli-

Cochlitæ Vmbilicati læues et Striati. 31



Nerititæ læues et Striati.



Trochitæ læues et Striati.



Cochlites Umbilicatus lævis mediocris cinereus trium spirarum, umbone parum eminente.

Cochlites Umbilicatus lævis mediocris subflavus trium spirarum, umbone parum eminente.

Cochlites Umbilicatus lævis mediocris subflavus duarum spirarum, umbone eminentiore.

Cochlites Umbilicatus lævis minor subflavus trium spirarum, umbone parum eminente.

Cochlites Umbilicatus lævis minor cinereus duarum spirarum, umbone parum eminente.

Cochlites Umbilicatus lævis minor subflavus duarum spirarum, umbone parum eminente.

Cochlites Umbilicatus striatus striis horizontalibus, & transversis opus reticulare pulcherrimum efformantibus major cinereus quatuor spirarum, umbone parum eminente.

Cochlites Umbilicatus striatus striis horizontalibus, & transversis opus reticulare pulcherrimum efformantibus mediocris cinereus quatuor spirarum, umbone parum eminente. *Tab.* 31. *fig.* 3.

Inter Cochlitas Umbilicatos dantur quidam, quorum Umbilicus tam faciliter perspici nequit, vel ob spiras ipsas illum obtegentes, vel quòd materiâ lapideâ infarctus sit, ita ut foramen prorsus non appareat, hoc tamen iis notam Characteristicam, propter quam ad hoc genus referuntur, non adimit.

Cochlites major & mediocris cum figuris *in Tab.* 31. expressis magnitudine conveniunt, secundum quam porportionaliter etiam reliquorum lapidum magnitudo concipienda est, Omnes inventi sunt in montibus proximis urbi S. Galli. *Magnitudo, & locus.*

GENUS III.

Neritites.

NEritites sunt Lapides Figurati ita dicti, quia figurâ suâ Neritas referunt, conchas maris ita vocatas à Deo Nereo, qui ob eximiam earum pulchritudinem iis loco Buccini usus erat, de quorum notâ Characteristicâ inter ipsos Zoographos magna adhuc est disceptatio, plerique tamen cum *Clariss. Listero de Cochl. Marin. pag.* 164. in hoc conveniunt, quòd sint Cochleæ marinæ turbinatæ plano ore, sive aperturâ non rostratâ, quibus & paucæ spiræ, & quibus umbones parum aut nihil eminent, his addi potest secundum potiores Neritarum figuras tam à citato Authore, quàm *Aldrovando*, *Gesnero*, *Bonanno*, aliisque adductas, quòd primus Cochleæ orbis sit sat amplus, & in tenues ac angustatas spiras desinat. *Ein Nerischer Schneckenstein.* *Neritites.*

Species:

Neritites lævis mediocris trium spirarum primo orbe amplissimo, umbone nil quasi eminente. *Tab.* 31. *fig.* 1.

Neritites lævis mediocris subflavus trium spirarum primo orbe amplo, umbone aliquantulum eminente. *Tab.* 31. *fig.* 2.

Neritites lævis minor subflavus trium spirarum, primo orbe amplo, umbone nil eminente.

Neritites lævis minor cinereus trium spirarum, primo orbe amplo, umbone aliquantulum eminente.

Neritites striatus striis horizontalibus & transversis opus reticulare pulcherrimum efformantibus, major cinereus trium spirarum, primo orbe amplo, umbone nil eminente.

Neritites striatus striis horizontalibus & transversis opus reticulare pulcherrimum efformantibus mediocris subflavus trium spirarum, primo orbe amplo, umbone aliquantulum eminente. *Tab.* 31. *fig.* 3. Hic lapis ob strias Neritæ reticulato *List.* non absimilis videtur.

Striæ horizontales & transversæ. Locus. Striæ horizontales sunt, quæ secundum spiras extenduntur, transversæ verò, quæ in iis transversim sitæ sunt.

Quod eorum loca nativa attinet, in iisdem montibus cum prioribus occurrunt.

GENUS IV.

Trochites.

Trochites. TRochitæ figurà suà Cochleas turbinatas, quas *Rondeletius* ob similitudinem instrumenti, quo lusitant pueri, Trochos appellat, præseferunt, & ideò etiam Trochitæ dicuntur, quorum non minùs, ac Trochorum Nota Characteristica *à List. tract. cit. pag.* 166. jam dudum adducta est, ut sint Figuræ Conoideæ ex basi latà & planà, ipsorum etiam orbium sibi invicem incumbentium latera admodum plana sunt, & minimè unum extra alterum eminet. Quibus addi potest os oblongum, & valdè compressum. *Ein Glotz-oder Topf-Schneckenstein.*

Species:

Trochites lævis major subflavus sex spirarum fasciis cinereis seleniticis inter se distinctarum, mucrone acuminato.

Tab. 31. Trochites lævis major subflavus sex spirarum, mucrone acuminato. *Tab.* 31. *fig.* 1.

Hic Lapis Trochum Pyramidalem alterum *Aldrovandi* præsefert, & cum figurà *Tabulæ* 31. convenit.

Trochites lævis mediocris cinereus quinque spirarum, mucrone acuminato.

Trochites major subflavus sex spirarum tuberculis in inferiore extremitate donatarum, mucrone acuminato.

Trochites striatus striis transversis, & in extremitate suà tuberosis, undatimque dispositis mediocris subflavus sex spirarum, mucrone acuminato. *Tab.* 31. *fig.* 2.

Hic lapis propter suas strias similis videtur Trocho crebis striis fuscis, & transversè, undatimque dispositis donato *Lister. Tit.* 15. *pag.* 166. *de Coch. Mar.* Magnitudo lapidis est eadem cum figurà.

Omnes Trochitæ in montibus comitatùs Badensis prope *Bætstein & Luggeren* inventi sunt, excepto cinereo, quem suppeditarunt montes prope urbem S. Galli.

GENUS V.

Buccinites.

BUuccinites est Lapis Figuratus ita vocatus ob similitudinem, quæ intercedit inter ejus figuram, & Buccinum; Buccinum autem secundum *Plinium* est minor Concha ad similitudinem ejus Buccini, quo sonus editur, & à *Conrado Gesnero lib.* 4. *de Aquat. pag.* 152. ita describitur: Est ex Turbinatorum genere, longiore testâ: in medio latior est, inde in turbinem longum desinit, alterâ parte margine in longum procurrente, atque illic rotunditate oris incisâ. Tota intus lævis est, & candida &c. Hæc ille. *Listerus Tract. cit. art.* 1. *pag.* 155. Buccina vocat Cochleas Turbinatas, intortas, quibus apertura sinuata, sive canaliculata, & propterea eas Buccina Rostrata appellat. Cùm autem à Zoographis hactenus nulla certa nota Characteristica Buccina ab aliis Turbinatis distinguens proposita sit, nos sequentem saltem ad cognitionem Buccinitarum, eorumque ab aliis Turbinatis Lapidibus distinctionem statuemus. Primò: Buccinites sit in medio latior sive ventricosus. Secundò: In turbinem elongatum, mucronemq; acuminatum desinat. Tertiò: Ore sit latiore, & utrinque versus extremitates angustato in longum procurrente. Incisuram rotunditatis oris, sive (ut cum *Clariss. Listero* loquar) aperturam sinuatam sive canaliculatam notæ Characteristicæ Buccinitarum addere non audeo; etenim, cùm hæc sit in extremitate oris sita, & in hujusmodi lapidibus extremitas rarissimè occurrat, integra nota Characteristica nunquam, vel rarissimè appareret, & sic non nisi rarissimis vicibus genus lapidis certò decerni posset: semel tamen aperturam sinuatam deprehendi in Buccinite marcasitaceo minimo *Tab.* 32. *fig.* 4. *Ein Blashorn-Schneckenstein.*

Buccinites. *Descriptio Buccini secundum Plinium.* *Gesnerum.* *Listerum.* *Eius nota Characteristica secundum Authorem.*

Species:

Species.

Buccinites lævis à sinistrâ ad dextram convolutus major cinereus quatuor spirarum, mucrone acuminato. *Tab.* 32. *fig.* 1.

Tab. 32.

Buccinites lævis à sinistrâ ad dextram convolutus major cinereus trium spirarum, mucrone acuminato. *Tab.* 32. *fig.* 2.

Buccinites lævis marcasitaceus à sinistrâ ad dextram convolutus minus pullus trium spirarum, mucrone acuminato. *Tab.* 32. *fig.* 4.

Buccinites striatus striis tenuioribus secundum spiras, densioribus verò, & undulatis transversè sitis à dextrâ ad sinistram convolutus minor cinereus quinque spirarum, mucrone acuminato.

Buccinites striatus striis secundum spiras tenuissimis, transversis autem densioribus, & undulatis marcasitaceus à sinistrâ ad dextram convolutus minor quatuor spirarum, mucrone acuminato. *Tab.* 32. *fig.* 5.

Buccinites striatus striis tenuioribus secundum spiras, densioribus verò transversè sitis marcasitaceus à sinistrâ ad dextram convolutus minor quatuor spirarum, mucrone acuminato. *Tab.* 32. *fig.* 3.

Buccinites striatus striis secundum spiras, & transversè sitis opus reticulare efformantibus marcasitaceus à sinistrâ ad dextram convolutus minor subflavus quatuor spirarum, mucrone acuminato.

Matrix Buccinitarum ex lapide calcario, cui immersus est Buccinites lævis mini-

minimus trium spirarum.

Magnitudo, & loca nativa. Buccinitæ magnitudine cum figuris conveniunt, exceptis primo, & secundo, qui illas medietate superant. Lapidei inventi sunt in montibus prope Urbem S. Galli, marcasitacei verò in montibus comitatùs Neocastrensis, in quibus Lapides Figurati marcasitacei copiosè, uti superiùs jam dictum est, reperiuntur, nonnunquam tamen etiam in alpibus occurrunt.

GENUS VI.

Turbinites.

Turbinites quid. TUrbinitæ Lapides Figurati ita vocantur, quia figurà suà cum Turbinibus Cochleis marinis conveniunt, quæ in longiorem & acutiorem mucronem desinunt, quàm reliquæ Cochleæ, & semper longiores sunt, quàm crassæ. In genere autem Turbinata dicuntur quæcunque in volutas & anfractus seu spiras, quales in prælis & torcularibus visuntur, testas suas quoquo modo reflectunt, & in mucronem longiorem abeunt. *Vid. Rond.* unde à Germanis *Straubschnecken*, *Straubenhorn*, *Schmahle langlechte gespizte Schnecken* appellantur. Sed hæc descriptio mihi non sufficere videtur, ad distinguendos Turbines ab aliis Cochleis diversis, quæ etiam ab ipsis Zoographis ad hoc genus non reducuntur, uti sunt v. g. Buccina &c. quæ, licet mucronem longiorem habeant, tamen ad Turbines non referuntur: ad distinguendum igitur nostrum genus Turbinitarum, ab omnibus aliis lapidibus turbinatis, qui propriè Turbinitæ non sunt, sequentem ponimus notam Characteristicam. 1. Lapis sit turbinatus, & in mucronem longiorem, & acuminatum desinat. 2. Habeat os planum & subrotundum. 3. Spiræ sensim sine sensu attenuentur, & gracilescant, sicut & ipsum corpus totius lapidis, ita ut nullus venter observetur, vel aliqua major crassities, quæ non sit proportionata reliquis spiris sensim attenuatis. Hos lapides Germanicè commodè appellare possumus: *Straubenschneckenstein*, vel etiam cum Gesnero: *Straubenstein*.

Species. Species:

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus major cinereus quatuor spirarum. *Tab.* 32. *fig.* 2. quam medietate superat.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus quinque spirarum *Tab.* 32. *fig.* 1.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus trium spirarum.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus duarum spirarum.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus minor cinereus sex spirarum.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus minor cinereus quinque spirarum.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus minor cinereus quatuor spirarum.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus minimus cinereus quinque spirarum.

Tur-


Buccinitæ lævues et Striati.
32.
1
2
3
4
5.
Turbinitæ lævues et Striati.
1
2
3
4
5.
Matrix Turbin:
6.
7.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus minimus cinereus quatuor spirarum.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus minimus cinereus trium spirarum.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus marcasitaceus minor pullus trium spirarum.

Turbinites lævis à sinistrà ad dextram convolutus marcasitaceus minor pullus duarum spirarum.

Omnes isti Turbinitæ tam majores, quàm minores repræsentant figurà suà Turbines læves inter spongias viventes *Rondeletii* & *Aldrovandi*, majores Turbinitæ nimirum majores Turbines &c. *Vid. Aldrov. lib.* 3. *de Testac. cap.* 29. *pag.* 359. nisi quòd à dextrà ad sinistram convoluti videantur.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus septem spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus sex spirarum. *Tab.* 32. *fig.* 4.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris subflavus sex spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus quinque spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris subflavus quinque spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus quatuor spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris subflavus quatuor spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus trium spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus minor cinereus sex spirarum.

Turbinites striatus striis frequentioribus, & secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus minor subflavus quinque spirarum. *Tab.* 32. *fig.* 5. Tab. 32.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus minor cinereus quatuor spirarum.

Turbinites striatus striis tenuissimis secundum spiras sitis, & transversis undatis à sinistrà ad dextram convolutus minor cinereus quatuor spirarum. *Tab.* 32. *fig.* 3.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus minor cinereus trium spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus minor subflavus trium spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus minor cinereus duarum spirarum.

Turbinites striatus striis secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus subflavus duarum spirarum compressarum.

Turbinites striatus striis transversis densioribus, & ex parte superiore intuber-

bercula abeuntibus à dextrà ad sinistram convolutus major pullus duarum spirarum. *Tab.* 32. *fig.* 6.

Turbinites striatus striis transversis, & in medio in duplicem papillarum seriem divisis à dextrà ad sinistram convolutus major pullus unicæ spiræ. *Tab.* 32. *fig.* 7.

Matrices. Matrix Turbinitarum ex lapide arenaceo, cui immersi sunt duo Turbinitæ striati mediocres unà cum quamplurimis Conchitulis.

Matrix Turbinitarum, cui impressa est figura Turbinitis striati mediocris quinq; spirarum, & immersus Pectunculites cum plurimis Conchitulis.

Matrix Turbinitarum, cui immersus est Turbinites striatus septem spirarum cum Cochlite. *Tab.* 32.

Colores, & Locanativa. Omnes Turbinitæ cinerei & subflavi unà cum matricibus inventi sunt in montibus prope urbem Sancti Galli, pulli verò in montibus comitatûs Badensis prope *Bœtstein* & *Luggeren*, & marcasitacei ex alpibus Subsylvanis, & comitatu Neocastrensi transmissi sunt.

CAPUT TERTIUM.

Cochlitæ ore elongato.

Cochlitæ ore elongato. HActenus tradidimus Cochlitas, quorum mucro à potiori elongatus est, vel spiræ saltem parum productæ, & os non elongatur. Nunc eos recensebimus, qui ore elongato donati sunt, & quorum mucro parum vel nihil eminet. Tunc autem Cochlitarum os elongatum vocatur, quando longitudine, vel productione suà productionem spirarum vel superat, vel saltem earum mucronem adæquat. *Schneckenstein mit ausgestrecktem, oder erhebtem mundt.*

GENUS I.

Cochlites Cylindroidæus, seu Pyramidalis.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis. Cochlea Cylindroidæa seu Pyramidalis. COchlites Cylindroidæus, vel Pyramidalis figurà suà præsefert Cochleam Cylindroidem *Rondeletii*, à quà nomen suum habet. Hæc à figurà Cylindro proximà Cylindroides vocatur, vel etiam Pyramidalis, quia pyri modo turbinata est, & Pyramidem refert. Os proximè à basi seu à spiris vel in se convolutis, vel parum productis incipit, & usque ad alteram extremitatem extenditur, quæ à potiori in acumen desinit, & frequentius figuram cono alicui, aut pyramidi similem efformat, quàm vero Cylindro. *Ein Cylinder-Schneckenstein.*

Species. Species:

Tab. 33. Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis lævis maximus subcinereus sex spirarum, turbine quasi plano. *Tab.* 33. *fig.* 1.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis lævis major subcinereus quatuor spirarum, turbine parum producto.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis lævis mediocris subcinereus quatuor spirarum, turbine productiore. *Tab.* 33. *fig.* 3.

Cochli-

33.

Cochlitæ Cylindroidæi lævies.



et Striati.





Echinophorites.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis lævis mediocris subcinereus, trium spirarum, turbine productiore, & acutissimo.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis lævis minimus subcinereus quinque spirarum, turbine productiore. *Tab.* 33. *fig.* 2. Tab. 33.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis striatus striis transversis tenuibus major subcinereus quatuor spirarum, turbine parum producto.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis striatus striis transversis tenuibus mediocris subcinereus trium spirarum, turbine parum producto.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis striatus striis transversis tenuibus major subcinereus quatuor spirarum, sulcis perpendicularibus per primum orbem excurrentibus, turbine parum producto. *Tab.* 33. *fig.* 4.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis striatus striis transversis tenuibus, mediocris subcinereus trium spirarum, tuberculis subrotundis in extremitate primæ spiræ donatus, turbine parum producto.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis striatus striis transversis cum perpendicularibus opus reticulare efformantibus mediocris cinereus compressus quatuor spirarum, turbine quasi plano.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis striatus striis transversis cum perpendicularibus opus reticulare efformantibus mediocris subcinereus trium spirarum, turbine quasi plano. *Tab.* 33. *fig.* 5.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis striatus striis transversis cum perpendicularibus opus reticulare efformantibus minor cinereus trium spirarum, turbine quasi plano.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis striatus striis transversis densioribus cum perpendicularibus tenuioribus opus reticulare efformantibus minor subcinereus trium spirarum, turbine quasi plano.

Cochlites Cylindroidæus seu Pyramidalis striatus striis transversis cum perpendicularibus opus reticulare efformantibus minor subcinereus compressus trium spirarum, turbine quasi plano.

Omnes isti Cochlitæ in montibus proximis urbi Sancti Galli inventi sunt. *Locus.*

GENUS II.

Echinophorites.

EChinophorites est Lapis Figuratus, qui figurâ suâ Cochleam Echinophoram *Rondeletii* refert, quæ est ore elongato in acumen quasi desinente, ex basi latâ, ventricosâ, & tuberosâ, sive tuberculis conspersâ. *Ein Iggel-Schneckenstein.* *Echinophorites.*

Species. *Species.*

Echinophorites mediocris subcinereus ventricosus quatuor spirarum, turbine quasi plano. *Tab.* 33. Tab. 33.

Echinophorites mediocris cinereus minus ventricosus, sed magis oblongus & compressus quatuor spirarum, turbine quasi plano.

In iisdem montibus inventi sunt. *Locus.*

CAPUT QUARTUM.

Cochlitæ ore, & mucrone simul elongatis.

Cochlitæ ore & mucrone simul elongatis.

HI lapides mucrone Turbinitarum, nimirum longiore, & acutiore, ore verò Cochlitarum Cylindroidæorum valdè elongato, & in acumen desinente donati sunt, ut plurimùm etiam elongatio oris similis est productioni mucronis. *Schneckenstein mit aufgestrecktem mundt, undt gewvindt.*

GENUS UNICUM.

Strombites.

Strombites.

STrombites est Lapis Figuratus, qui figurà suà Strombos repræsentat; cùm autem à Zoographis Strombi, & Turbines passim confundantur, nos eos ita distinguimus. Turbines nimirum, uti jam superiùs dictum est, ore rotundo in mucronem elongatum, & acuminatum abeunt; Strombi verò præter mucronem elongatum, & acuminatum, etiam ore angusto, elongato, & in acumen desinente instructi sunt. *Ein Straubenhorn-Schneckenstein.*

Species.

Species:

Strombites lævis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus trium spirarum compressarum, & inter se per fasciam spiralem distinctarum. *Tab.* 34. *fig.* 1. Lapis figuram medietate superat.

Tab. 34.

Strombites à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus trium spirarum, tuberculis secundum inferiorem spirarum marginem sitis.

Strombites striatus striis crebris secundum spiras sitis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris pullus sex spirarum. *Tab.* 34. *fig.* 4.

Strombites striatus striis transversis crassioribus, & in primà spirà secundum marginem inferiorem in tubercula elevatis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus quatuor spirarum.

Strombites striatus striis transversis undulatis, & secundum marginem inferiorem in tubercula elevatis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus trium spirarum, & inter se fascià spirali distinctarum. *Tab.* 34. *fig.* 2.

Strombites striatus striis tenuissimis secundum spiras sitis, & transversis undulatis à sinistrà ad dextram convolutus mediocris cinereus trium spirarum. *Tab.* 34. *fig.* 3.

Strombites striatus striis transversis undulatis, & secundum superiorem spirarum marginem in tubercula elevatis à sinistrà ad dextram convolutus minor cinereus quatuor spirarum.

Strombites striatus strià unicà supra spirarum spinam extensà à sinistrà ad dextram convolutus minimus subcinereus trium spirarum.

Matrix Strombitarum lævis ex lapide fissili, cui immersus est Strombites

lævis

34.

Strombitæ laues et Striati.



Echinites maximus
Clypeatus seu discum referens pentaphylloides.



lævis minimus albus quatuor spirarum,
Omnes Strombitæ in iisdem montibus reperti sunt. *Locus.*

CAPUT QUINTUM.

Descriptio Lapidis Chelidonii, & Umbilici Marini.

ANtequam Classi Cochlitarum finem imponam, pauca de Lapide Chelidonio, & Umbilico marino tradenda sunt, non quòd in nostris regionibus reperiantur, sed quia in iis valdè familiares sunt, & à pluribus ad certas Cochleas, tanquam earum opercula petrificata referuntur.

Lapis Chelidonius cum Umbilico marino quoad structuram suam prorsus convenit, uti videre est *in Tab.* 50. in quà numerus primus partem eorum sessilem, seu planam indicat, in quà lineà in volutam seu gyrum duarum spirarum Cochlearum more actà donantur, quæ intra ipsam substantiam lapidis convolvitur, & principium alicujus Cochleæ videtur, hæc in Umbilico marino ortum suum trahit à pluribus aliis lineis incurvatis, & quasi spiralibus per superficiem lapidis expansis, & sibi in volutà occurrentibus, simulque unitis, secundus verò numerus partem eorum convexam in summitate, seu centro excavatam indicat. Quemadmodum autem structurà conveniunt, ita & figurà sibi prorsus similes sunt, quæ ovata & subrotunda est. Solummodò igitur colore, & magnitudine discrepant. *Clariss. VVorm. in suo mus. jam sæpiùs citato* ita eos describit. *Lapis Chelidonius quo ad structurâ cum Umbilico marino convenit.* Tab. 50.

Chelidonius, seu Chelidonia ab Hirundinibus sic dicta, eò quòd in ventriculis eorum inveniri putentur, Germanis: *Schvvalbenstein* lapillus est exiguus, magnitudine seminis lini, sed figurà hemisphæricà, colore luteo obscuro splendente, parte convexà, & rotundiore, purpureo & nigricante parte sessili; Nostri verò omnes numero plusquam 80. albicantes sunt. *Descriptio lapidis Chelidonii secundum.* VVormium.

Dicunt inveniri in ventriculis hirundinum juvenum, quibus à matre, mox ubi exclusi fuerint, devorandus exhibetur: cùm pulli lapillos hos habent, ita nido insident, ut rostra conjungant. Eximi juxta *Plinium* debent absente matre, & antequam primogenitus terram tangat. Quandoque in uno pullo duo generantur, alter rubicundus, alter obscuro magis colore, quandoque verò unicus saltem, qui duorum vices gerit. *Anshelmus Boetius* se in Hirundinibus sæpè eum quæsivisse ait, sed non invenisse. Adferuntur ex Melitensi Insulâ lapilli Chelidonii dicti, qui descriptioni conveniunt, quos incolæ Oculos serpentum vocant petrificatos. *Aliqui putant, lapillos in ventriculis hirundinum juvenum inveniri.*

Sunt, qui eos opercula Concharum minutarum esse, putent instar Umbilicorum Marinorum, quod mihi haud videtur verisimile; attulit enim mihi ex Melitâ Insulâ *Clariss. Vir. D. Thom. Bartholinus* massam quandam ex meris hisce lapillis constantem, ita ut discretè cerni, ac numerari possint ad numerum vigesimum, quamvis massa sit exigua dimidiæ unciæ longitudine, pondere vix scrupulum æquans. *Nonnulli autumnant, esse opercula Concharum minutarum.*

Mihi varii sunt generis figurâ, magnitudine & colore discrepantes,

qui non ex hirundinibus, sed terrà Melitensi sunt petiti.

Eorum vires præsertim ad Epilepsiam.

Vires ei adscribunt præclaras, inprimis ad Epilepsiam commendant albiorem capiti applicatum, & auribus impositum extemplo collapsum excitare, nigrum cute alligatum idem præstare. Ad antiquos capitis dolores, quartanam, hepatis affectus, maniam, & melancholiam gestatus extollitur (quæ sequuntur, superstitiosa videntur, quam ob rem omittuntur) sed magis rationi consonum est, quòd oculorum doloribus in collyriis, aut collo appensus succurrat, visumque roboret. Certum, quòd oculis impositus, quæcunque inciderint, eximat, quod & aliâ lævia hemisphærica præstant. Hæc ille de lapide Chelidonio; de Umbilico marino autem sequentia tradit.

Oculis impositi quæcunq; eximunt.

Secundum eundem descriptio Umbilici marini.

Umbilicus Marinus à similitudine Umbilici, quem repræsentat, nomen invenit, quibusdam Umbilicus Veneris: Germanis: *Meerbohnen*, Faba Marina, Cretenses Oculum marinum vocant, quòd gestatus oculis prodesse dicatur.

Lapis est colore rubicundo albedine mixto, superiore & eminente parte politus, & lævis, inæqualis, quibusdam in locis compressus, ut eà parte humanum oculum non ineptè exprimat tam figurà, quàm magnitudine, rarò minor unguem pollicis excedit.

Operculum est Conchæ cœlatæ Aldrovandi.

Alterà parte compressus est, planus, & nigricans, variis spiris in gyrum actis præditus, ac si Conchæ esset rudimentum, in albidioribus lapillis hæc pars quandoque etiam albicat. Operculum est Conchæ cujusdam Cœlatæ *Aldrovando* dictæ, quæ etiam ad Turbines refertur, hujus orificium claudit eo modo, quo vulgares Limaces hyeme crustà quàdam testas suas claudere solent, ut à frigoris injuriâ defendantur. Cochlea, quam claudit, parva est, exteriùs quasi cretà obducta, interiùs splendens Margaritæ instar.

Conchæ cœlatæ descriptio.

Amuletum contra Erysipelatem esse putatur, si continuò gestetur. Ejus in sanguine sistendo vim eximiam experti sunt Viri Clarissimi, si parte planà cum salivâ fronti agglutinetur. In mensibus sistendis ejus pulverem exhibent in aquâ, aut conservâ appropriatâ. Hæmoptoici, qui sanguinem per intervalla exspuunt, ejus pulvere mixto cum Cornu Cervi, & Coralliis præparatis in ovo sorbili juvantur.

Vires.

Hæmoptoicis prodest.

Aliam speciem Umbilici Marini Indici describit idem Author, quam materiæ complendæ gratiâ his quoque adjungere volui.

Descriptio Umbilici marini magni Indici.

Est & Umbilicus Marinus magnus ex Indiâ allatus, figurâ rotundâ, parte superiore convexâ niveâ, in ambitu foraminibus quibusdam, modò majoribus, modò minoribus præditus, inferiori parte aliquantulum concavus, in gyrum Cochleatum, ut prior, efformatus, colore punico, striis subnigris inversuris præditus. Ex diversis constat substantiis. Nam convexa & exterior ejus pars solidior magis albicat, interior strigosa ad cinereum vergit. In diametro longitudinis quatuor circiter est pollicum, duritie ad lapideam accedit naturam, quà versura Cochleata minor est, tenuior conspicitur, quàm ab alterâ parte. Ex limosâ majorum Cochlearum sanie induratâ, & excrementis viscidis ortum trahere videtur, ac ejusdem esse naturæ, proprietatis, & virium cum priori. Hucusque prædictus Celeberrimus Author.

generatio.

Vires.

Ex

Ex his quoque apparet, quod omnes tres adductorum lapillorum species eandem habeant internam structuram, & in locis mari proximis inveniantur, adeoque probabile sit, quòd etiam omnes ad idem corpus reduci debeant, nimirum ad operculum Cochlearum; Chelidonii quidem minimarum, Umbilici marini vulgares, mediocrium, præcipuè autem Cochleæ cœlatæ *Rondeletii*, & Umbilicus Indicus magnus *VVormii* majorum, cui opinioni adhæret major Zoographorum pars excepto *Scilla*, qui *in sua Epistola jam aliis in locis laudata* pluribus rationibus, & experimentis demonstrare conatur, Umbilicos marinos vulgares, seu *Pietre di Santa Margarita*, esse ova Cochlearum, in quibus illa linea spiralis in gyrum acta Cochleæ embryonem constituat. Præcipua hujus conjecturæ fundamenta sunt hæc: Primò, quòd Umbilici marini non semper observentur ejusdem crassitiei, nam aliquando sunt strigosi, aliquando crassiores secundum diversum anni tempus, in quo extra mare ejiciuntur. Secundò: quòd dicti lapilli solummodò augeantur secundum altitudinem, & non latitudinem, ut nimirum Cochlea inclusa extendatur, & cum accrescente pisce elongetur. Tertiò: quòd lapilli accrescentes semper magis ad Cochleam accedant, non tantùm figurà, sed etiam colore, & quòd hoc etiam intelligendum sit de lapillis minimis, ut sunt Chelidonii. Quartò: quòd lineà spiralis in gyrum acta Cochleæ embryonem constituat, utpote quæ non solùm in simplici lineà consistit, sed in orbibus testaceis in se convolutis. Quintò: quòd in ruptis lapillis observetur intra spiras substantia duplex diversæ materiæ; quarum una ad formandam carnem, altera verò ad testam inducendam destinata sit.

Probabile est omnes enumeratas tres lapidum species ad opercula Cochlearũ marinarũ referendas esse.

Scillæ iudicat, eas esse, Cochlearum embryones.

Hæc sunt rationes, quas prædictus Insignis Vir ad suam sententiam stabiliendam in medium profert, & hac occasione manifestandas censui, ut Philosophis prope mare degentibus, ubi hujusmodi lapilli occurrunt, ansa præbeatur, veritatem talis conjecturæ indagandi, per quod doctrina de Testaceis non parum promoveretur.

LIBER SEXTUS.

IN QUO DESCRIBITUR CLASSIS SEXTA COMPLECTENS LAPIDES FIGURATOS TURBINATOS HELICEM NON HABENTES.

POst Lapides Figuratos Turbinatos, quorum orbes Cochlearum in modum producuntur, sequuntur ii enarrandi, qui quidem turbinati sunt, sed sine helice, seu volutà, & ad figuram Globi, vel Pyramidis, aut Cylindri accedunt.

Lapides Figurati Turbinati sine helice.

TA-

TABVLA GENERICA.

Lapidum Figuratorum Sextæ Classis.

Lapides Figurati Turbinati Helicem non habentes

- Subrotundi striati, vel punctulati: Echinitæ dicti
  - Clypeati.
  - Cordati quaternis radiis è duplici serie.
  - Cordati quinis radiis è duplici serie.
  - Cordati Spatagoidæi.
  - Fibulares.
  - Discoidæi Umbonati.
  - Ovarii.
  - Echinometritæ.
  - Striis Capillaceis.
  - Echinitarum Radioli & Scutula.
- Læves, & in longum producti: Belemnitæ dicti
  - Pyramidales basi integrà.
  - Pyramidales basi foratà.
  - Sulcati.
  - Cylindroidæi.

CAPUT PRIMUM.

Lapides Figurati Turbinati Helicem non habentes subrotundi, Striati, vel Punctulati: Echinitæ dicti.

Echinitæ. ECHinitæ sunt Lapides Figurati, qui figurà suà Echinos marinos aculeis suis, seu radiis spoliatos præseferunt, & ideò in Germanicà linguà nostrà *Meer-Iggelstein* appellari possunt.

Eorum materia. Materia eorum sicuti & Cochlitarum modò arenaceus, modò calcarius, aliquando etiam siliceus est lapis, marcasitaceos autem hucusque non observavi.

Quæ de generatione Cochlitarum præsertim striatorum superiùs adducta sunt, hìc etiam optimè applicari possunt. Loca nativa Echinitarum in enumeratione specierum exponentur.

Echinitæ ob suam figuram subrotundam, quà plerumque donantur, viden-

dentur non ad Turbinata pertinere, cùm tamen omnes (nec Ovariis exceptis) versus partem superiorem aliquo modo angustentur, & contrahantur, quod unicuique illos diligenter contemplanti patebit, eos huic Classi adjungere volui.

GENUS I.

Echinites Clypeatus.

HUjus Generis Echinitarum describit *Clariss. Luid. in suo Lithophyl. Britann. Class. 6.* quatuor species, & quantum mihi imaginor, ideò illas Clypeatas vocat, quia figurà suà Clypeos Antiquorum præseferunt. Nos unicam habemus speciem. *Echinites Clypeatus.*

Species.

Echinites Clypeatus, seu discum referens pentaphylloides maximus niger vertice eminentiore, quinis striis duplicatis, & sulcatis, foraminibusque à se æqualiter dissitis donatis insignitus. *Tab.* 34. Tab. 34.

Structura hujus lapidis tam mirabilis est, ut impossibile sit, eam in unicà simplici descriptione Lectori integrè exponere; magnitudinem quod attinet, illa cum figurà expressà convenit, lapisque hemisphæricus est, & basi planà centro verticali obliquè subtensà, coloris obscurè nigricantis, & summæ duritiei, ac gravitatis. In umbone donatur quinque tuberculis situ suo circulum describentibus, à quo quinæ striæ duplicatæ, & sulcatæ incipiunt versus peripheriam lapidis extensæ, cui quo magis approximantur, eò magis etiam dilatantur. In earum cavitate descripta sunt foraminula subrotunda æqualiter à se invicem distantia. Ex his decem striis septem ad circumferentiam usque immutatæ pertingunt, octava verò, cùm adhuc pollice ab extremitate lapidis distat, prorsus obliteratur. Nona & decima quasi simul unitæ in medio inter verticem lapidis, & ejus extremitatem quoque finiuntur, sed earum loco papillæ iis in vertice sitis simillimæ exsurgunt, quæ eodem ordine, & duplicatà serie, nec non distantià æquali ad peripheriam usque porriguntur. Præter strias sulcatas, & à centro ad circumferentiam regulari ordine tendentes in superficie lapidis peripheriæ proximà excavantur plures alii sulci nullo ordine hinc inde excurrentes, ac varios gyros serpentum more describentes, qui tamen nunquam cum striis regularibus confunduntur: ubinam fuerit inventus hic lapis, dicere nequeo, cùm in meà absentià allatus fuerit. *Echinitæ Clypeati maximi descriptio.*

GENUS II.

Echinites Cordatus quaternis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis.

PEr Echinitas Cordatos intelligimus eos, qui in parte superiore sulco, vel lacunà donantur, & in parte inferiore, seu opposità non nihil contrahuntur, & quasi acuminantur, ita ut ad cordis figuram majori ex parte accedant. *Echinites Cordatus quaternis radiis.*

Species: *Species.*

Echinites Cordatus subluteus mediocris quaternis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis.

Hic

Descriptio Echinitæ Cordati quaternis radiis. Tab. 35.

Hic lapis rarissimus est, & magnitudine suà figuram tertiâ parte superat; in parte concavâ convenit cum basi Echinitarum Cordatorum quinis striis *Tab.* 35. *fig.* 2. expressâ, pars autem convexâ lacunâ oblongâ donatur, quæ à centro incipiens versus partem superiorem ad peripheriam usque protenditur: ab eodem centro versus partem lapidis inferiorem, seu lacunæ oppositam porrigitur eminentia oblonga, seu spina acuminata ad extremitatem usque. Inter spinam verò, & lacunam protenduntur quatuor radii è duplici serie transversarum lineolarum conflati utrinque duo, & æqualiter à se distantes, qui in umbone ad exortum lacunæ, & spinæ principio angusto incipiunt, paulatimque circa medium dilatati versus peripheriam iterum contrahuntur, donec ad basin pertingentes, non nihil dilatati in subiectum foramen desinant, uti videre est in radiis quinis in dictâ figurâ secundâ exhibitis.

Locus. Inventus est in montibus circa *Bœtstein, & Luggeren.*

GENUS III.

Echinites Cordatus quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis.

Species. SPecies:

Echinites Cordatus subluteus major quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis.

Echinites Cordatus subluteus mediocris quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis. *Tab.* 35. *fig.* 1. *& 2. in primâ serie.* Quarum prior partem lapidis convexam, posterior verò basin concavam foramine donatam exhibet. Tab. 35.

Echinites Cordatus subluteus minor quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis.

Descriptio. Adductæ Echinitarum species à priore differunt, primò: quòd ex parte inferiore minùs contrahantur; secundò: quòd lacunâ valdè brevi in parte superiore, & convexâ donentur; tertiò: quòd eminentiâ oblongâ seu spinâ destitutæ sint, & hujus locum occupet quintus radius è duplici serie transversarum lineolarum conflatus; quartò: quòd radii, licet cum quatuor prioribus in reliquis conveniant, inæqualiter à se invicem distent, & à circello umbonem occupante incipiant, cæteroquin mediocris *figuris Tab.* 35. quartâ parte major est, omnesque inventi sunt in iisdem montibus cum priore. *Locus.*

GENUS IV.

Echinites Cordatus Spatagoidæus quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis.

Echinites Cordatus Spatagoidæus. EChinites Cordatus Spatagoidæus ita vocatur, quia Echinos Spatagos seu Brissos *Rondeletii*, & ab *Aristotele* descriptos figurâ suâ præfert, qui sunt Echinorum genera pelagia, & inventu rara, minùs rotundi, quàm ii primi generis, & à cordis figurâ non valdè recedentes, aculeis parvis & raris septi, alterâ parte, in quâ scilicet os est, magis plani.

Spe-

Echinites quaternis radijs è duplici Serie transuersarum lineolarum Conflatis. cordatus.

Echinites quinis radijs è duplici Serie transuersarum lineolarum conflatis cordatus. 1 2







Echinites discoidæus an ei Congener umbonatus. 1 Luid. 2





Echinites Spatagoides cordatus. 1 2





Echinites Uertice plano et basi ovarius dictus. 1 2



Ech: ouarius min.

Ech: rotularis min.

Ech: fibularis min.

Species: *Species.*

Echinites Cordatus Spatagoidæus cinereus major quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis. *Echinites Cordatus vulgaris, seu Echinum Spatagum, vel Ovum marinum nostratium referens, quinis incilibus donatus Luid. Class. 6. Echinites Spatagoides, vel Brissoides bullatus, & striatus Scheuz pag. 61.*

Echinites Cordatus Spatagoidæus cinereus mediocris quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis. *Tab. 35. Fig. 1. & 2. in secundà serie*, quarum prior partem convexam, altera verò basin exhibet. *Echinites Clunicularis Luid. loc. cit. Echinites è lapide selenite quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis List. p. 223. an 12. Tab. 2. D. Plott?* Noster cum figurà magnitudine convenit. Tab. 35.

Echinites Cordatus Spatagoidæus cinereus minor quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis.

Omnes isti lapides, ut è figuris patet, ad figuram cordis proximè accedunt. *Descriptio.* Ex unà parte, quam *Figura primà Tab. 35.* exhibet, sunt convexi, in cujus vertice, seu centro parva eminet papilla, à quà striæ quinæ è duplici serie transversarum lineolarum conflatæ ad modum antecedentium Echinitarum in æquali nimirum distantiâ protenduntur, sed in ipsà lapidis peripheriâ prorsus evanescunt, stria, quæ ad partem lapidis inferiorem, & acuminatam vergit, valdè obscura est, ita ut non nisi summà attentione animadvertatur. Per hoc videtur differre à nostris speciebus *Echinites Spatagoides Scheuzeri*, cujus quinta stria per ipsam lacunam extenditur. Lacuna non minùs, ac striæ, à centro incipit, & semper magis dilatata in ipsam lapidis peripheriam desinit, quà adjacentes binæ lapidis extremitates ita rotundantur, ut natibus similes evadant, propter quas hujusmodi lapides Ombriæ Natiformes *à VVagnero* vocati sunt. Interstitia striarum, sicuti & integra lapidis superficies minimis papillis sine ordine sitis obtecta est. Basis hujus Echinitæ, quæ *figurà secundà* repræsentatur, planior est basi reliquorum Echinitarum Cordatorum, neque tantis papillis, ut dorsum, referta. In medio baseos apparet eminentia levis oblonga, & ovata, in cujus parte superiore exiguum foraminis vestigium observatur, & aliud in ipsà superiore lapidis extremitate inter nates situm, ubi lacuna dorsi finitur. Quinorum radiorum ex parte baseos nec minimum deprehenditur indicium, per quod differunt ab *Echinite Listeri Tit. 26.* descripto, sed, cùm sæpius natura ludat, ob defectum unici accidentis, si in omnibus reliquis conveniat, non semper est excogitandum novum genus. Materia lapidis est substantiæ durissimæ, & valde gravis, cinerei coloris, tamen pro vero selenite non habenda est, cùm nec splendeat, nec è bracteis, aut laminis constet. *Ombriæ natiformis.*

Nota igitur Characteristica Echinitæ Spatagoidæi erit, primo: ut sit Cordatus. Secundò: lacunà insigni in dorso donatus. Tertiò: ut habeat basin planam quasi, & Quartò: ut sit undique in superficie papillis minimis obtectus. Propterea dubito, an ad hoc genus reducendus sit *Echinites præter quinas strias annulis exiguis innumeris insignitus Listeri*, cùm non sit cordatus, & figuræ depressioris, licet *à Scheuzero* cum Spatagoidæo confundatur. *Echinitæ Spatagoidæi nota Characteristica.*

Locus. Allati sunt è comitatu Neoburgensi, ubi in rupibus ad fluvium Sionem, à *Souchie*, à *Hauterive*, & à *Prise* in terrà pingui albà, vel subcæruleà occurrunt.

GENUS V.

Echinites Fibularis quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis.

Echinites Fibularis. ECHinites Fibularis dicitur secundum *Luidium* ille, qui à figurà rotulari, id est, subrotundà ad fibulam, seu glomerulum vestiarium paulatim accedit.

Species. Species:

Echinites Fibularis subluteus minor quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis. An *Echinites Fibularis minor Luid.*

Echinites Fibularis subluteus minimus quinis radiis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis. *Tab.* 35. *in serie infimà.*

Tab. 35.

Descriptio. Hi duo lapilli figurà suà, & structurà proximè accedunt ad Echinos omnium minimos *Aldrovandi de Testac. lib.* 3. *pag.* 412. seu ad quintam Echinorum speciem *Rondeletii*, cum quà dispositione radiorum, eorumque numero conveniunt, qui in vertice siti tantùm ad marginem usque pertingunt, nullà donati sunt lacunà seu sulco, nec præter dictos radios nullà alià eminentià exasperantur, ad differentiam ab aliis Echinitis ex utràque parte tantillum convexi sunt, magis tamen in vertice, quàm basi, in quà nonnunquam vestigium vix perceptibile alicujus foraminuli apparet. Figura subrotunda est, propter quam dicuntur Fibulares, & materia arenacea videtur, nonnihil ad lapidem calcarium accedens. In montibus comitatûs Badensis prope *Bœtstein*, & *Luggeren* inventi sunt.

Locus.

GENUS VI.

Echinites Discoidæus Umbonatus.

Echinites Discoidæus Umbonatus. PEr Echinitem Discoidæum Umbonatum intelligitur lapis perfectè rotundus, ex unà parte convexus, cujus vertex verum lapidis centrum est, qui Umbo vocatur, à quo plures porriguntur striæ æquali distantià ad peripheriam lapidis protensæ, ita ut discum quendam, discum Solis lucentis haud ineptè referentem, efforment.

Species. Species:

Echinites Discoidæus Umbonatus subluteus major quinis radiis è duplici serie, & quinis striis ex unicà serie transversarum lineolarum conflatis, interstitia striarum papillis minimis occupantibus.

Echinites Discoidæus Umbonatus subluteus mediocris quinis radiis è duplici serie, & quinis striis ex unicà serie transversarum lineolarum conflatis, interstitia striarum papillis minimis occupantibus. *Tab.* 35. Figura prima partem convexam, secunda verò basin concavam exhibet. An *Echinites Discoidi congener Luidii.*

Tab. 35.

Echinites Discoidæus Umbonatus subluteus minor quinis radiis è duplici serie, & quinis striis ex unicà serie transversarum lineolarum conflatis,

tis, interstitia striarum papillis minimis occupantibus.

Echinites Discoidæus Umbonatus subluteus minimus quinis radiis è duplici serie, & quinis striis ex unicà serie transversarum lineolarum conflatis, interstitia striarum papillis minimis occupantibus.

Hoc Lapidum Figuratorum genus non solùm propter figuram, sed ipsam etiam structuram magnà ex parte cum Echinometris convenit à Zoographis descriptis: parte enim pronà quasi plani sunt, id est, basi leviter concavà, in cujus centro modò foramen, modò nullum observatur. Parte verò supinà rotundi sunt, & striis Echinometrarum in modum dispositis exornati, quarum aliqua pars tantùm, & quidem plerumq; sex ad basin usque pertingunt, & ad ejus centrum in cavitate levi, vel etiam ipso foramine, si adsit, concurrunt. Integra lapidis superficies, excepto radiorum spatio, tuberculis, seu papillis minimis subrotundis obsita est, ita ut quoad omnia Echinometris similes sint, præter magnitudinem, quà solummodò ab iis discrepare videntur. Hanc ob causam fortè meliùs Echinometritæ appellarentur. Cæterum eàdem matetià, quà priores, constant, & eodem in loco reperiuntur. *Descriptio.* *Locus.*

GENUS VII.

Echinites Vertice, & Basi planis: Ovarius dictus.

ECHINITES Ovarius est Lapis Figuratus, qui figurà suà primum Echini marini genus *Rondeletii* repræsentat, quod Ovarium vocatur, vel ob multitudinem, & magnitudinem ovorum, quibus scatet secundum *Hermolaum*, vel etiam propter ejus formam, quæ in rotunditatem conglobata est. Hic Echinus aculeis spoliatus Germanis: *Seeapffel* dicitur, unde & Echinites *Seeapffelstein* appellari poterit. Omnes species basin, & verticem planum habent, & involvuntur crustà elegantissimè elaboratà, striisque, scutulis, ac papillis undique pulcherrimè exornatà, quæ in vertice, & basi lato foramine rotundo donatur; in quo apparet lapis complanatus, utplurimùm ejusdem substantiæ cum crustà, è particulari specierum descriptione Echinitis Ovarii figura, & structura magis innotescent. *Echinites Ovarius.*

Species sunt: *Species.*

Echinites Ovarius subluteus major quinis striis incurvatis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis, quodlibet interstitium striarum decem scutulis, reliquum verò spatium innumeris minimis papillis occupantibus. *Tab. 35. fig. 1. in serie tertiâ. Echinites Orbiculatus Laticlavius medius Luid. Class. 6. Lithophyl. Brit. Echinites albido-cinereus extrà, ex parte internà siliceus nigricans Lister. Tit. 22. pag. 221. de Lapid. Turb. ex D. Plott. Fig. 4. Tab. 5 Ovum Anguinum Anselm. Boet. pag. 174.* Tab. 35. *Ovum Anguinum.*

Echinites Ovarius subluteus major quinis striis incurvatis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis, quodlibet interstitium striarum octo scutulis, reliquum verò spatium innumeris minimis papillis occupantibus. *Tab. 35. fig. 2. in ser. 3.*

Echinites Ovarius subluteus mediocris quinis striis incurvatis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis, quodlibet interstitium striarum decem scutulis, reliquum verò spatium innumeris papillis occupantibus.

Echinites Ovarius subluteus minor quinis striis incurvatis è duplici serie transversarum lineolarum conflatis, quodlibet interstitium striarum decem scutulis, reliquum verò spatium innumeris minimis papillis occupantibus.

Echinites Ovarius Rotularis dictus subflavescens minor viginti striis, quarum decem è papillis, & aliæ decem è transversis lineolis conflatæ sunt, interstitia striarum punctulis minimis occupantibus *Tab.* 35. *in serie infimà. An Echinites Rotularis medius spoliatus ex toto siliceus tuberculis obliteratis Luid. Clas. 6. Brontias, sive Ombrias Boetii. pag.* 240.

Tab. 35.

Brontias, sive Ombrias Boetii.

Echinites Ovarius Rotularis dictus subflavescens minimus viginti striis, quarum decem è papillis, & aliæ decem è transversis lineolis conflatæ sunt, interstitia striarum punctulis minimis occupantibus.

Hi duo Echinitæ Ovarii Rotulares dicuntur, quia à vertice ad basin ita sunt compressi, ut cum foramine crustæ tam suprà, quàm infrà sito, & striis ab isto utrinque extensis non ineptè rotæ alicui assimiliari possint.

Echinites Ovarius subflavescens minor duodecim striis è transversis lineolis conflatis, interstitia striarum papillis minimis occupantibus.

Echinites Ovarius subflavescens minimus duodecim striis è papillis majoribus conflatis, interstitia striarum punctis minimis occupantibus. *Tab.* 35. *in serie infimà.*

Tab. 35.

Descriptio.

Cùm in particulari singulæ Echinitarum Ovariorum speciei descriptione eorum structura, & figura satis clarè explicentur, plura addenda non habemus, præsertim, quia scutula, quibus quandoque in superficie suà exornari solent, paulo infrà describentur. Materia autem, è quà conflantur, calcario-selenitica videtur, cùm valdè dura sit, & splendens, nec non colore suo ad lapidem calcarium proximè accedat. Inveniuntur copiosè in monte Randio, & quandoque etiam in montibus comitatùs Badensis prope *Bœtstein*, *& Luggeren*.

Locus.

Ovum Anguinũ, Ombrias, Brontias.

In enumeratione specierum Echinitarum Ovariorum mentio facta est de Ovo Anguino, Ombriâ, & Brontiâ, qui lapides omnes ad Echinitas reducendi sunt, & apud Antiquos in maximâ fuerunt veneratione, ac æstimatione, quà potissimum moti more suo illis multa fabulosa, & superstitiosa adscripserunt, quæ, licet majori ex parte veritati non consona sint, hìc breviter adducemus *ex VVormii Mus. pag.* 67. ut saltem eorum opinio non omnino nos lateat.

Ceraunias

Chelonitis.

Ad Cerauniam quidam referunt Brontiam, seu Ombriam. Brontiam dictam volunt, quòd cum fulmine è cælo delabi putent; Ombriam verò, quòd cum imbribus cadat. Quibusdam etiam Chelonitis, quòd Chelin. Testudinum figurà, & colore quandoq; repræsentet. Ovum Anguinum aliis, quia ab anguibus, & bufonibus conflari putant, caudas enim anguinas in unum punctum concurrentes, & corpus ejus ambientes quodammodo ostentat. Quamvis sint, qui discrimen inter Ovum Anguinum, & Ombriam statuant, quod certè exiguum admodum est. Popularibus nostris *Spadey* vocatur, Germanis: *Groß-Krottenstein*, quasi magnum lapidem Bufonium dicas, aliàs: *Donnerstein*, *VVetterstein*.

Descriptio.

Lapis est hemisphæricus, dimidii ovi gallinacei magnitudine, quandoque major, quandoque minor, colore cinereo, fulvo, nigricante, materiâ

rià vel saxeà, vel gypseà, vel siliceà, ab apice in basin per ejus convexum quinque lineas æqualiter in quinque quasi triangula eum dividentes habens; quæ lineæ semper duplicatæ ex minutulis constant punctis, & quandoq; in planam ejus terminantur superficiem, quandoq; eum perreptantes in modiolum, quod centrum planæ superficiei exornat. Si protuberantiæ & eminentiæ quædam in eo appareant, Ovum Anguinum nominant. De ejus generatione varia fabulantur. *Plinius lib. 29. cap. 3.* ex anguibus conflari accepit. Est, inquit, Ovorum genus in magnà Galliarum famà, omissum Græcis; Angues innumeri æstate convoluti salivis faucium, corporumque spumis artifici complexu glomerantur, Anguinum appellatur. Vide reliqua valdè superstitiosa, alii cum fulmine, & imbribus decidere putant, ut suprà dictum. Quidam Ova Testudinum in lapidem conversa volunt, cùm rudimenta Testudinis in convexà superficie aptè referant; at apud nos reperiuntur, ubi Testudines non generantur. Lapidem sui generis esse quid vetat? quem peculiari vi sibi similem gignendi præditum esse, nostrates credunt. In Modiolis enim, quos habere visuntur, alios procreare volunt. Nec certè omnino abnuere possum, cùm aliquos habeam, qui fætus suos adhuc in sinu foveant, sessili ac planà corporis sui parte. Reperitur variis in locis Daniæ, verùm nunquam, quòd sciam, animadversum, quòd plures simul in eodem loco, aut nido inventi. Nam in Monsingià prope Nobile prædium *Orndrux* in magnà copià reperitur, indeque ad me multi sunt delati. De viribus Brontiæ inferiùs sequentia habet.

Opinio Veterum varia de eius generatione.

Loca nativa.

Cæterùm Vires Brontiæ hæ recensentur: Gestatum ab aëre pestilenti, & Venenis securum reddere volunt, Veneno præsente sudare ajunt, quod de politioribus forsan intelligendum, alioquin omnes lapides, & corpora dura, polita, ac frigda calidiorem aërem condensant, & in aquam vertunt. Somnum conciliare sibi persuasum habent quidam, ne quis fulmine tangatur, impedire credunt. Nostrates mulierculæ contra fascinationes valere falsò putant, unde prope mulctra, & lactis repositoria asservare solent, ne à sagis quid impedimenti eis adferatur. Hæc tradit citatus Author, de quorum veritate meritò dubitandum est. Magis notatu dignum est, quòd etiam putet, hujusmodi lapides peculiari vi in terrà gigni posse.

Vires.

GENUS VIII.

Echinites vertice fastigiato basi planà: Echinometrites dictus.

ECHINOMETRITES est Lapis Figuratus, qui figurà sua Echinometras repræsentat, cujus testa secundum *Bellonium* cinerea est, pugni, aut ovi anserini magnitudine, rapi modo in vastitatem extuberans, ut quò antiquiores evadant, eò majores reddantur. Parte pronà planæ, supinà autem rotundæ.

Echinometrites.

Species:

Species.

Echinometrites vertice fastigiato albus major striis tenuibus à centro baseos planæ, & perforatæ ad acumen usque productis, annulis minimis interstitia striarum occupantibus. *Tab. 36. An Echinites Pileatus, seu figurà conoide, vel quodam modo turbinata Luid. Class. 6. Lithoph. Brit. Brontia Prima Lachmund. seu Echinites siliceus vertice fastigiato List. Tit. 18. de Lap. Turb.*

Tab. 36. *Brontia Lachmundi.*

Turb. pag. 219. 13. *Tab.* 2. *D. Plott.* Valdè analogus est cum Echinometrà spinis denudatà *Aldrov. de Test. pag.* 409.

Eius magnitudo, materia, & locus.

Hic lapis magnitudine cum figurà convenit, atque è materià gypseà constat. Quantum memini, è montibus prope urbem S. Galli allatus est.

GENUS IX.

Echinites Striis Capillaceis in parte convexà undique insignitus.

Species.

SPecies:

Echinites striis capillaceis à centro ad circumferentiam undique insignitus, subluteus mediocris rotundus, vertice compresso, basi ex pluribus annulis striatis sibi invicem impositis conflatà. *Tab.* 36. cujus figura prima partè convexam, secunda verò basin indicat. *An Echinites parvulis striis capillaceis undiq; insignitus List. Tit.* 20. *de Lap. Turb. p.* 220. *ex D. Plott. fig.* 9. *Tab.* 8.

Tab. 36.

Eius magnitudo, materia, locus.

Hujus lapidis magnitudo figuræ magnitudini similis est, & constat è materià lapideà calcariâ: non rarò reperitur in montibus comitatùs Badensis sæpiùs jam adductis, & etiam in monte Randio, modò major hoc invenitur, modò minor, tamen omnes mole suà non multùm differunt, ita ut nullus eorum peculiarem speciem constituere mereatur. Ad Classim Echinitarum reducendus videtur, quia eodem modo striatus est, & crustaceus, basique concavà donatur. Echini genus quintum *Rondeletii*, seu speciem supremam Echini parvi *Aldrovand. pag.* 406. *de Test.* non ineptè refert. An non etiam ad hoc genus reduci debeat Nux vomica lapidea *Scheuz. Lith. Hel. pag.* 44. valdè ambigo.

Nux vomica lapidea.

GENUS X.

Partes Echinitarum exhibens, quæ quandoque separatæ inveniuntur.

Species.

SPecies:

Modiolus Scutellatus Echinitarum cinereus foraminulis subrotundis in rectâ lineâ, sed obliquà dispositis. *Fig.* 1. *Tab.* 36.

Tab. 36.

Modiolus Scutellatus Echinitarum cinereus punctis minimis obtectus. *Fig.* 2. *Tab.* 36.

Istos duos Lapillos ad Echinitas refero, primò, quia Echinitarum more foraminulis, & punctis referti sunt, secundò, quia ex eàdem materià constant, & tertiò, quia proprià figurà aliquo modo ad illos accedere videntur. Fortè ad idem genus Stigmites *Scheuzeri Lith. Helv. pag.* 13. referendus est. Inventi sunt in monte Legerio.

Scutulum Echinitarum subcinereum majus. *Tab.* 36.

Descriptio.

Ex eleganti hujus lapilli structurâ sat elucescit pulcherrimum naturæ artificium in construendis Echinitis Ovariis majoribus, quorum superficies majori ex parte hujusmodi scutulis obtegitur, & exornatur. Formâ suâ scutum Antiquorum subrotundum affabrè repræsentat, cujus superficies extima papillis minimis subrotundis æqualibus, & æquidistantibus per totum peripheriæ tractum exornatur; medium intra descriptum circulum papillaceum scutuli spatium scutorum instar convexum est, cujus Umbonem seu centrum occupat papilla major subrotunda *lit. A* circulo leviter excavato cin-

cta,

Echinites
Uertice fastigiato
basi planà Echi-
nometri tes
dictus

Echinites
Strijs capillaceis.

Modioli scutellati Echinitarum.

Scutulum Ech: radioli Cucumerini: radiolus articulatus



Radioli glan- Matrix Echinitarum darii.

cta, quæ mirabilis structura ad hunc finem instituta est, ut Radiolus cum papillà mediante ginglymo eò firmiùs connecti possit, hæc enim excipitur à foraminulo in principio pediculi Radioli sito *lit. B*, cujus margo circulo papillam ambienti quoque implantatur, uti videre est in Radiolo articulato *in eadem serie n.4. Tab. cit.* expresso; rarissimè autem deprehenduntur Radioli, & Scutula, quorum foramina, & papillæ ita inter se proportionatæ sint, ut debitè coaptari queant. Materia Scutuli eadem est, ac Echinitarum, & in monte Legerio inventum est. Tab. 36. *Materia.*

Radiolus Echinitarum subluteus major Nodosus. *Tab. 19. in ultimà serie. Radiolus Torosus (seu ramusculis insignitus) eburneus major Luid. Class. 6. Lithoph. Brit. Bastoncini di S. Paulo Melitensium. An Lithophyton, seu Spinosus Lapis WWagneri. Helv. curios. pag. 313.* Tab. 19.

Horum Radiolorum figuræ optimè repræsentantur in *Epistolà Augustini Scillæ jam sæpiùs citatà Tab. 24. fig. 3.*

Radiolus Echinitarum subflavescens major papillis æqualibus, & æquidistantibus à pediculo ad alteram extremitatem usque in rectà lineà dispositis. *Tab. 36. fig. 2. Radiolus Echinitæ maximi laticlavii, seu cucumerinus* (à cucumeris fructùs similitudine) *major, Lapis Judaicus Oxoniensis Plotii Hist. Oxon. Tab. 6. Fig. 8. Luid. Class. 6. Lith. Brit. Vid. Tab. dict. citat. Epist. Fig. 3.* Tab. 36.

Radiolus Echinitarum subflavescens mediocris tenuissimè striatus, & inter strias minimis punctulis donatus. *Tab. 36. fig. 1.*

Radiolus Echinitarum subflavescens mediocris utrinque ad extremitates tantùm tenuissimè striatus, in medio verò punctulatus. *Tab. 36. fig. 4.*

Radiolus Echinitarum subflavescens minor utrinque ad extremitates tenuissimè striatus, in medio verò punctulatus.

Radiolus Echinitarum subcinereus minimus tenuissimus, & acuminatus, striis rectis, & valdè sensibilibus à principio ad finem usque percurrentibus. *Tab. 36. fig. 3.* cum hoc quoad figuram saltem convenire videtur. *Radiolus Cucumerinus medius altiusculè sulcatus Luid. Class. 6. Lithoph. Brit.*

Sequentes Radioli Glandarii vocantur, quia figurà suà glandem quercinam, seu Olivam quodammodò referunt. *Radioli Glandarii.*

Radiolus Glandarius subflavescens major tenuissimè striatus cum pediculo rugoso. *Tab. 36. fig. 1.* Tab. 36.

Radiolus Glandarius subflavescens mediocris tenuissimè striatus sine pediculo.

Radiolus Glandarius subcinereus major, partim tenuissimè striatus, partim punctulatus sine pediculo. *Tab. 36. Fig. 2. Radiolus Glandarius, seu Lapis Judaicus Boet. pag. 409. Fig. 1. Lapis Judaicus Diosc. Agric. Luid. Class. 6. Lith. Brit.*

Radiolus Glandarius subcinereus mediocris partim tenuissimè striatus, partim punctulatus sine pediculo.

Radiolus Glandarius subcinereus minor punctulatus sine pediculo.

Radiolus Glandarius subflavescens mediocris ventricosus, ventre punctulato, & striato, apice verò punctulato tantùm, ac inter ventrem, & apicem tenuissimè striatus, pediculo crassiore rupto. *Tab. 11. Fig. 2. in ser. infimà.* Tab. 11.

Lapil-

Descriptio. Lapilli hucusque enarrati à modernis Authoribus Radioli vocantur, quia pro Radiolis Echinitarum habentur, qui non solùm illos proprià figurà repræsentant, sed etiam à naturà sunt instructi omnibus iis partibus solidis, licet non semper unitis, quibus illis in mari prospicitur. Quod Radioli primi generis ad Echinitas pertineant, non majus est dubium, ac de Scutulo suprà descripto, quod certò ad Echinitas referendum esse, scimus. Hoc enim persuadent figura, structura, & materia ipsa, ex quà constant, ac demùm loca etiam nativa, quæ utplurimùm cum Echinitis communia habent, quod ex matrice inferiùs describendà patebit. De Radiolis Glandariis, seu secundi generis autem major apparet difficultas, credendi, quòd ad Echinitas tanquam eorum Radioli reducendi sint, cùm hactenus à Zoographis nulla species Echinorum marinorum detecta sit, quæ Radiolis Glandariis instructa sit, & quasi globosis. Verùm, quia suis striis & punctulis, imò ipsà materià, ex quà conflantur, ad Radiolos primi generis proximè accedant, & in iisdem locis quoque inveniantur, ubi Radioli veri, & Echinitæ occurrunt, non sine ratione ad idem genus referuntur; Videntur tamen figurà suà potiùs fructum aliquem glandiformem præseferre. *Ansel. Boet. pag.* 201., *& VVormius pag.* 68. figuras Lapidum Judaicorum, seu Radiolorum Glandariorum apice acuminato exprimunt, qui apud nos rarissimi esse debent, cùm hucusque à me nullus visus fuerit.

Radioli Glandarii apice acuminato in Helvetià rarissimi.

Apud Antiquos Radiolus Glandarius Lapis Judaicus audit, quòd in Judæà inveniatur, aliis dictus Syriacus, à Germanis vocatur: *Judenstein*, à *Plinio* Euroës, quòd urinam pellat, & Tecolithos, quòd calculum resolvat. Propter diversam figuram etiam diversa sortitus est nomina, si enim glandi, aut Balano similis est, Balanites, & Phænicites dicitur, si olivæ, Pyrenes. In nostrà linguà: *Steinene Oliven*. Gallis verò: *Olives de pierres*. Glandiformis, seu Balanites ad usum medicum communiter adhibetur, de cujus viribus *Boet. loc. cit.* sequentia tradit: Tritus, aut aquà calidà exhibitus difficultati urinæ medetur, ac calculos vesicæ, & renum rumpit. Aliqui sexum distinguunt, & minores fæminas, ad vesicæ lapidem fundendum utiles, majores masculos, inter quos aliqui sunt minimi digiti quantitate (quos *VVagnerus in Helv. cur.* piperi longo assimilat) ad renum lapidem expellendum commodi, arbitrantur, reperitur in Judæà, & Silesiâ.

Lapis Judaicus.

Locus. Matrix Echinitar. Tab. 36.

Matrix Echinitarum calcaria fusca, cui immersus est Echinites Ovarius mediocris cum Radiolo striato, suoque pediculo instructo inhærente. *Tab.* 36.

Descriptio, & Locus.

Pulcherrimus hic est lapis, & nunquam sat admirandus inventus in monte Randio, præcipuà Echinitarum, & Radiolorum matre. Siquidem vertici Echinitæ suis scutulis, & striis elegantissimè elaborati inhæret Radiolus suo pediculo instructus, & ex omni parte completus, cui in ipsà formatione crustam Echinitæ cessisse necesse est, quantum nimirum corpus Radioli pro suo situ exigebat, vel hoc præsentià suà ulteriorem Echinitæ expansionem impedivit, clarum indicium, quòd Echinites, & Radiolus in terrà simul producti fuerint, nam si Radiolus vi quàdam comprimente crustæ Echinitæ impressus fuisset, hoc non nisi majori, vel saltem aliquà structuræ jacturà, aut immutatione Echinitæ fieri potuisset.

Radiolorũ materia, & Locus.

Materia Radiolorum similis est Materiæ Echinitarum Ovariorum, & in montibus Randio, ac Legerio potissimum colliguntur.

C A-

CAPUT SECUNDUM.

Lapides Figurati Turbinati Helicem non habentes, læves, & in longum producti: Belemnitæ dicti.

QUales Lapides Figuratos nos per Belemnitas intelligamus, jam patet ex titulo. Antiqui verò ita eos vocarunt, quia sagittæ, quæ græcè Βέλεμνον dicitur, figuram referunt; appellantur etiam Dactyli Idæi, quòd in monte Idà reperiantur, & digitum repræsentent, aliis Lyncurii, quòd ex urinà Lyncis ortum suum trahere olim existimaverint; Germanis: *Alpfenschos*, Jncubi Sagittæ, *Schosstein*, *Luchsstein*, *Rappenstein*. Danis: *Vettelins*, Spectorum Candela. Rusticis nostratibus: *Donnerkiel, oder Donnerstein*, seu Tonitrui Cuneus, eò quòd credant, eum cum fulmine è cœlo cadere. *Belemnitæ.* Alpfenschos. Luchsstein.

Belemnitæ omnes in structurà conveniunt; constant enim è meris fibrillis, seu laminulis seleniticis leviter splendentibus, à centro lapidis, si integer sit, si verò concavus, à cavitate ad peripheriam horizontaliter porrectis, ita ut cum substantiâ Lapidis Bononiensis quo ad structuram suam magnam affinitatem habeat, quà motus eodem modo, quo ille ad attractionem lucis præparatur, etiam Belemnitas nostros calcinavi, spe fretus, eundem præstaturos effectum, sed contrario prorsus successu, siquidem post calcinationem nec minimum Belemnitarum vestigium in fornace inveni, qui totaliter ab igne consumpti erant. Unde suspicatus sum, Belemnitas ob copiam sulphuris, quà scatent, & quod in pluribus odore proditur, igni non posse resistere, sed ab eo consumi; econtrà Lapides Bononienses majore quantitate salis sulphur figentis imbutos esse, propter quam etiam vehementissimam calcinationem parvà sui jacturà sustinent, hujus rei veritas ab eorum gravitate, & respectu parvæ molis magno pondere confirmari videtur. *Eorum structura.*

Etiamsi nostris in regionibus non habeatur frequentior Lapidum Figuratorum species Belemnitis, tamen in iis non magna observatur differentia, si excipias magnitudinem, basin integram, vel perforatam, & species Belemnitarum Sulcatas: etenim quoad colorem quasi omnes sibi similes sunt, nimirum subcinerei, vel nigricantes, nullum fundentes odorem, seu fœtorem, vel profecto valdè levem, & plerumque à basi latà in acumen abeunt præter Belemnitas Sulcatos, qui in medio non nihil ventricosi sunt, prout inferiùs in enumeratione specierum describentur. Verùm aliis in Provinciis occurrunt albi, nigri, cinerei, fulvi, pellucidi Vini Falerni instar, & semipellucidi lineà per medium divisà: quidem armaturà aureà, vel argenteà armati, quidem olent ossa, cornua usta, felium urinam, alii bene, alii intus lapidem, alii arenam, vel terram continent. Denique alii paleas trahunt, alii non, est & species quædam singularis intus atra, & lævissima, instar silicis ignem emittens, magnitudine articuli digiti, nullis radiis, *Differentia Belemnitarũ in Helvetiâ non tam multiplex est, Sicuti in aliis Regionibus.*

Loca nativa Lapidis Lyncurii propriè dicti.

diis, foris albicans, tanquam crustà cretaceà dotata, substantià durissimà, qui succini, & aurei sunt coloris, propriè Lyncurii dicuntur. In Borussià prope Regiomontum, & in Pomeranià effodiuntur, plures adhuc differentias adducit *Boet. pag.* 236. hæc annotatæ sunt ex *VVormio pag.* 70. qui virtutes hujusmodi lapidum paginà sequenti his verbis prosequitur.

Belemnitarũ vires.

Germani Belemnitem contra Incubum, Ephialtem, & nocturnas oppressiones valere putant, atque eum in finem ejus exhibent pulverem in liquore competenti. Commendatur etiam ad vulnerum consolidationem. Calculum eo frangi, non secùs ac lapide Judaico, existimant. Pleuritidi mederi volunt ob signaturam, mucrone enim ad pungendum apto præditus.

Ejus usti pulvis dentifriciis aptus est, eo etiam cicatrices in oculis equorum existentes exterunt Hippiatri. Ad omnia illa, ad quæ Lyncurius commendatur valere volunt; siquidem pro Lyncurio venditatur: sed ab urinà Lyncis nasci lapidem, negant naturæ Scrutatores accuratiores. *Paulus Barbettus in suà praxi medicà cap. de Nephrit.* sequentem liquorem nephriticum ex hujusmodi lapidibus confectum ad expellendum calculum commendat:

P. Barberti liquor Nephriticus è Lapide Lyncurio aliisque similibus confectus.

℞ Lapid. Lyncis.
Judaici.
Spongiæ.
Nephritici.
Glaciei Paradisi.
Oc. Cancr. ana q. v.

Solvantur in spiritu salis rectificato, solutiones filtrentur, & destillentur ad siccitatem; caput mortuum in cellà in liquorem coagulatum nephriticum mutatur.

GENUS I.

Belemnites Pyramidalis basi integrà.

Belemnites Pyramidalis.

QUando Belemnites à basi latiore versus alteram extremitatem sensim angustatur, Pyramidalis dicitur.

Species.

Tab. 37.

Belemnites Pyramidalis basi integrà niger maximus truncatus. *Tab.* 37.

Descriptio Belemnitæ Pyramidalis maximi Locus.

Hic lapis magnitudine cum figurà convenit, & in superficie suà pulcherrimis Tubulis vermicularibus albicantibus insignitus est, præsertim circa basin, ubi hinc inde instar hederæ arboribus adhærentis sine ordine, & diversos gyros describendo per lapidis superficiem ramulos suos dispergunt, oculisque haud ingratum præbent spectaculum. In montibus comitatùs Badensis prope *Luggeren* inventus est.

Belemnites Pyramidalis basi integrà niger major.
Belemnites Pyramidalis basi integrà niger mediocris.
Belemnites Pyramidalis basi integrà niger minor.
Belemnites Pyramidalis basi integrà niger minimus.


Belemnitæ Maximi
Pyramidales.
37.
basi integrâ.
basi perforatâ.
4
5.
Matrix
Belemnitarum
3
Belemnitæ electrini
Cylindroidæi.
1
2

GENUS II.

Belemnites Pyramidalis basi foratà, seu concavà.

AD differentiam hujus generis Belemnitarum à prioribus, isti in basi suà sunt concavi, seu forati, quod foramen sensim angustatum plerumque ad medietatem lapidis penetrat, & in punctum centrale abit, à quo fibræ seleniticæ substantiam lapidis constituentes oriuntur, & ad peripheriam usque porriguntur. Hoc foramen quandoque terrà, quandoque arenà repletum est, utplurimum tamen nullam materiam in se continet, & prorsus vacuum est. *Belemnites basi foratà.*

Species: *Species.*

Belemnites Pyramidalis basi foratà niger maximus truncatus, & per medium divisus. *Tab.* 37. Tab. 37.

Magnitudine cum figurà convenit, & in baseos parte internà Tubulo vermiculari bifurcato, & albicante donatur. In eodem loco cum altero maximo inventus est. Tubulos vermiculares in minoribus hucusque non observavi. *Belemnitæ maximi basi foratà descriptio.*

Belemnites Pyramidalis basi foratà niger major.

Belemnites Pyramidalis basi foratà niger mediocris.

Belemnites Pyramidalis basi foratà niger minor. *Tab.* 37. *fig.* 4.

Belemnites Pyramidalis basi foratà niger minimus. *Tab.* 37. *fig.* 5.

GENUS III.

Belemnites Sulcatus.

BElemnites Sulcatus est, qui à basi ferè usque ad alteram extremitatem, seu acumen sulco recto donatur, & in medio sui, vel etiam magis versus apicem nonnihil ventricosus est, ita ut perfectam Pyramidis figuram non repræsentet, propterea neque Pyramidalis vocatur: Basis hujusmodi Belemnitarum semper integra est. *Belemnites Sulcatus.*

Species: *Species.*

Belemnites Sulcatus niger major. *Tab.* 37. *fig.* 3. Tab. 37.

Belemnites Sulcatus niger mediocris. *Belemnites minor cinereus Ari pistillum referens Luid. Lithoph. n.* 1702. *fig.* 34.

Belemnites Sulcatus niger minor.

Belemnites Sulcatus niger minimus.

GENUS IV.

Belemnites Cylindroidæus.

QUamvis nulla hujus generis Belemnitarum species in Helvetiâ reperiatur, tamen ad majorem tractatûs perfectionem illud hic addere volui, ut etiam species exoticæ, si fortè ad manus pervenerint, agnosci queant. Belemnites igitur Cylindroidæus est, qui figurâ suâ Cylindrum præsefert, & nullâ ex parte acuminatur, vocatur etiam Electrinus, quia plerumque Vini Falerni instar pellucidus est, vel semipellucidus, & lineam *Belemnites Cylindroidæus vel Electrinus.*

mediam secundum longitudinem habet, quæ ex unà parte superficiei sulcum longitudinalem efformat, prout è *figuris Tab.* 37. apparet.

Species. Species:

Belemnites Cylindroidæus Electrinus, vel Vini Falerni instar semipellucidus. *Tab.* 37. *fig.* 1. quæ lapidem integrum repræsentat, & *fig.* 2. quà solùm interna ejus facies exhibetur. Tab. 37.

Belemnites Cylindroidæus quo ad substantiam suam convenire videtur cum *Belemnite minimo ferè cujusdem succini instar, & pellucido, & colorato; quibusdam Lapis Lyncurius dicto List. tit.* 32. *pag.* 227. Ex Anglià transmissus est.

Matrix Belemnitarum. Matrix Belemnitarum nostratium calcaria, cui immersæ sunt plures species Belemnitarum Pyramidalium mediocrium basi integrà, & foratà, partim integræ, partim per medium divisæ. *Tab.* 37.

Eorum loca nativa. Belemnitæ in quamplurimis locis Helvetiæ reperiuntur, & vix datur mons, ubi Lapides Figurati occurrunt, qui non etiam Belemnitas simul suppeditat. Apud Lucernenses in monte *VVicken*, apud Tigurinos in monte Legerio, & prope Andelfingam, apud Scaphusianos in monte Randio, circa Siblingam, & Halloviam, apud Basileenses in monte prope urbem *Liechstal*, in monte Arcis *Mœnchenstein*, & *Mutezt* copiosè colliguntur. In majori tamen abundantià illos nunquam vidi, quàm in montibus circa Monasterium *Olstburg*, quod leucà Rheinfeldà distat, ubi ad plura millia colligi possent.

Exposità structurà, & enarratis Belemnitarum speciebus pauca de eorum generatione subjungenda sunt, circa quam à Lithographis tres præcipuæ, & consideratione magis dignæ conjecturæ proponuntur, omissis iis utpote veritati, & experientiæ manifestè contrariis, quæ volunt, Belemnitas à cælo cum fulmine cadere, vel ex urinà Lyncis nasci.

Luidius putat, esse Cornua piscis. Prima est, quòd sit cornu piscis, Secunda vult, quòd sit fluor concretus ex marinis Tubulis, & Tertia, quòd sit species Stalactitis in meatibus terræ formati. Primas duas opiniones affert *Luid. in Epist. Quartà de Asteriàs, & Belemnite ad Doct. Dominum Joan. Archer M.D.* Belemnites habet similitudinem cum cornu piscis *Narhvval* vocati, figurà tereti fastigiatà, & cavitate ad basin adhærente, ignoti cujusdam Monocerotis cornu pronuntiarunt, quare si unica Belemnitis species cum testaceo aliquo convenire videatur, idoneam suspicionis ansam (neque enim ultra conjecturas nunc loquimur) præbet. Conchylia autem, quibus Belemnitas varios annumerarem, ea sunt, quæ Tubuli, Penicilli, Entales, & Dentales appellantur, in quo genere plura etiam exstare nondum descripta comperimus. Ut verò jam innuimus, Belemnitas non ipsos Tubulos, aut Penicillos, sed potius fluores quosdam ex Tubulosis hisce fossilibus concretos ob sequentes rationes suspicor.

Nardvval vocati.

Vel fluores intra Tubulos marinos concretos.

Fundamenta ultima ejus conjecturæ. Primò: Tubulorum quorundam, & Belemnitarum eadem magnitudo, & figura turbinata, teres, & concava.

Secundò: in lapidicinis Oxoniensibus non semel Belemnite prægnantes Tubulos fuisse visos.

Tertiò: Belemnitis maximi Oxyrrhynchi varia specimina inveniuntur in lapidicinà Stansfordiensi, quorum calices membranaceà quàdam testà ex

parte

parte internà obducuntur, quæ iis adhæret, sicut cortex arbori.

Quartò: in litoribus Terbighiensibus colliguntur quidam Penicilli Arenarii fusiformes, Belemnitis aliquot minoribus, quoad molem, & figuram non absimiles.

Fatendum est, quòd hæ rationes non levem præbeant ansam suspicandi, Belemnitas in Tubulis marinis nasci, & ab iisdem formam suam acquirere, verùm cùm Tubuli marini omnes sint incurvati, nec in tantà magnitudine, & quantitate occurrant, magisque sint acuminati, quàm Belemnitæ, de veritate hujus conjecturæ meritò dubitare licet, quamobrem pace tanti Viri dubiam meam opinionem quoque addere volui, ut saltem major de generatione dictorum lapidum conjecturandi occasio suppeditetur. Suspicor enim Belemnitas esse species Stalactitis stiriæformis in meatibus, seu poris terræ ex aquà nivis solutæ, & ramentis lapideis tenuissimis imbutà in hyeme formatas, non secùs, ac supra de generatione ipsius Stalactitis dictum est. Rationes meæ conjecturæ sunt, primò: quòd Belemnitæ materià cum Stalactitis stiriæformibus conveniant. Secundò: quòd structura fibrarum è puncto centrali ad peripheriam productarum etiam in Stalactitis observetur, licet modo obscuriore, & magis confuso, cujus causa sine dubio materiæ crassities est, & non tam perfecta desæcatio. Tertiò: quòd hoc modo omnia Belemnitarum genera produci possint, cùm econtra plures Belemnitarum species v. g. Belemnitæ Sulcati, & Cylindroidæi, nec ad cornu alicujus piscis, nec ad Tubulos marinos referri possint, à quibus manifestè differunt.

Nonnullæ difficultates contra hanc opinionē proponuntur.

Ob quas dubitat Author, an Belemnitæ non debeant referri ad Stalactitē Stiriæformem.

CAPUT TERTIUM.

Descriptio Ætitis, seu Aquilini Lapidis.

ANtequam explicationem septimæ Classis aggrediar, pauca de Ætite, seu Aquilino Lapide subjungam, etiamsi in nostris regionibus non reperiatur, tum, quia apud nos propter suas vires valdè familiaris, & notus est, tum etiam, quia propter figuram suam subrotundam ad hanc Classem non nihil accedit.

Ætites, seu Aquilinus Lapis vulgò: *der Adlerstein*, ita vocatur ab Aquilà, quæ illum in nidum suum transferre creditur, ut ovorum partum promoveat, nullam certam figuram habet, plerumque tamen subrotundus est, coloris cinerei, pulli, aut fusci, alium lapidem, qui Callimus dicitur, vel Argillam in se continens, unde concussus resonat. Tria præcipua, & magis frequentia Ætitis genera *à Boetio* recensentur *pag.* 187. Primum genus exterius scabrum, non læve est, colore vario, plerumque tamen pullo, nigricante. Hoc lapidem Callimum dictum, dumque pulsatur, sonantem in se continet. Secundum cinerei coloris est, ac in se Argillam, vel Margam continet, quæ alba, flava, rubra, cæruleave interdum est. Cortex ejus exterior scabra ex arenà crassiore, silicumque particulis facta, vel constructa videtur. Tertium priori simile, terram in se coloribus variantem concludit. Has duas postremas species *Germani Klapperstein* Vel *Erdstein* vocant,

Ætites Aquilinus Lapis. der Adlerstein.

Lapis Callimus.

Klapperstein.

cant, atque ab aliis Geodis nomine appellantur. Secundum genus, quia agitatum, & commotum argillæ sonum prodit, ad Ætitis genera aptiùs cum *Plinio*, quàm ad Geodis refertur.

Magnitudo, & Loca Nativa.

Primi generis Ætites rarò Pruni, vel Armeniaci mali magnitudinem superat. Posteriora duo genera pugni sæpè magnitudinem æquant. Primum genus Orientale est, quanquam etiam in Apuliâ reperiatur. Reliqua duo etiam in Germaniâ inveniuntur prope Hildesheimium, in Misniâ prope Dresdam, ac non procul Chemnicio, deinde in Bohemiâ duobus à Pilsnâ milliaribus. Hi plerumque in torrentibus decedente aquâ reperiuntur. Habet etiam Silesia ad pagum *Smotsteifen* Territorii Leobergensis, item ad *Goldbergam* in Lygiis hos Lapides.

Vires.

Ætitis facultates ita describit *VVormius pag.* 78. Ætitem parturientibus peculiariter dicatum testatur *Plinius*, & *Galenus*, non refragante experientiâ; sinistro namque brachio alligatus, fætum in iis retinet, quæ ad abortum sunt proclives ob uteri lubricitatem. Tempore partûs sinistro femori alligatus dolores minuit, ac partum accelerat; cujus experientiam sæpius in hâc urbe feci, adhibitâ tertiâ specie. Est mihi enim Geodes parvulus ovi columbini magnitudine, cujus effectum in casibus desperatis multæ honestæ Matronæ sæpius viderunt. Sed ubi partus exciderit, statim amovendus.

Observavit namque *Valeriola*, tam vehementer trahere, ut unà uterus excidat, ni maturè removeatur; quod, eo referente, accidit Valentiæ conjugi Ponsoni Jouberti, quæ oblivioni tradens lapidem femori alligatum, elapsâ matrice, extincta est. Ad furem deprehendendum Authore *Dioscoride* pulverem Ætitis pani permiscent, & suspecto porrigunt, quem reum deglutire nullo modo posse, putant. Quod & Græcos etiamnum variis adhibitis superstitionibus factitare, ait *Bellonius*: omnes suspectos advocant, atque massam pinsunt sine fermento, variaque verba adnumerant; deinde ex massâ panes ervi magnitudine conficiunt, singulisque ternos devorandos, nullo addito potu, præbent. Tum fur tertium devorare non potest, & parum abest, quin, si conetur, stranguletur. Monachi Græci hoc pro secreto habent. Sed hoc ridiculum, & superstitiosum.

Secretum Monachorum Græcorum superstitiosum.

Ferunt quidam, quòd si patinis supponatur Ætites, in quibus ferculum veneno infectum continetur, deglutiri illud non posse; superstitiosum videtur, quod asserunt, gestatum amorem, & divitias augere, invictum, omnibusque gratum efficere. Sed tritum, & cerato mixtum epilepticos paroxismos lenire, quòd dicant, experientiæ non reclamat. Argilla seu Marga, quæ in Geode continetur, terræ sigillatæ facultatem habet. Lota pesti, & febribus pestilentialibus correptis cum aquâ acetosâ propinata auxilio est, sudores elicit, venenum expellit, cor recreat, quandoque & alvum movet. Venenis cum vino exhibita resistit, dysenteriam malignam, & alvi fluxum sistit. Pestilentes carbunculos discutit cum spiritu vini in vino oligophoro exhibita, cordique robur conciliat. Serpentes arcet, atque hanc ob causam quidam existimant, nido Aquilæ inferri.

Ætitē esse fructum petrificatum pu-

Nicolaus Venette in suo pulcherrimo Tractatu de Lapidibus cap. 4. art. 2. Observ. 4. pag. 28. putat, omnes Ætitis species, quæ concussæ resonant, esse fructus petrificatos, quorum osseæ seminum capsulæ pariter petrificatæ Callimum constituunt. Quæ opinio etiam suas patitur difficultates, etenim

nim si Ætites esset fructus petrificatus, deberet figurà suà illum repræsentare, imprimis autem Callimus osseum ejusdem semen præseferret, siquidem hoc propter duram suam substantiam, & insuper fructui petrificato inclusum tam faciliter naturali suà formà non spoliaretur, quod tamen hucusque non fuit observatum. Deinde conceptu difficile est, quomodo ossea seminis capsula intra substantiam fructùs petrificatam in Margam, seu Argillam, quæ in Geode occurrit, converti queat. *tat* Nicolaus Venette.

Verisimilius igitur videtur, Ætitem esse lapidem peculiaris speciei, cujus materia ob diversam suam dispositionem non simul in substantiam lapideam concrescit, sed plerumque primò illa, quæ superficiei proxima est; vel quòd liquor lapidificus non ad centrum usque penetret, vel non sufficienti sale lapidifico imbutus sit ad indurandam simul omnem materiæ substantiam; hæc interim, dum petrefit, constringitur, & constrictione suà illam cavitatem efformat, quæ in Geode deprehendi solet, non immutatà Margà, seu Argillà in illà contentà. Si verò liquor lapidificus externà substantià jam petrefactà ad centrum usque sese insinuet, vel urgeatur, lapidem Callimum efformabit, qui, cùm in petrificatione pariter contrahatur, interna cavitas amplior evadit, ita ut concussus sonum majorem edat. Nonnunquam ipsa materia contenta ita potest esse disposita, ut activitatem liquoris lapidifici prorsus respuat. *Modus generationis Ætitis.*

LIBER SEPTIMUS.

IN QUO DESCRIBITUR CLASSIS SEPTIMA COMPLECTENS LAPIDES FIGURATOS BIVALVES, QUI CONCHITÆ DICUNTUR.

LApides Figurati, Conchitæ dicti, figurà suà Conchas propriè dictas præseferunt, quæ sunt species Testaceorum non Turbinatæ, sive sint bivalves, sive univalves. *Plinius verò lib. 9. cap.* 33. nomine Conchæ omnia Testaceorum genera comprehendit, cujus verba, utpote quæ miras Concharum varietates elegantissimè exprimunt, & nostris Lapidibus Figuratis non ineptè applicari possunt, hìc addere non piget. Concharum genera, inquit, in quibus mira ludentis naturæ varietas, tot colorum differentiæ, tot figuræ, planis, concavis, longis, lunatis, in orbem circumactis, dimidio orbe cæsis, in dorsum elatis, lævibus, rugatis, denticulatis, striatis, vertice muricatim intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato; jam distinctione virgulatà, crinità, crispà, canaliculatim, pectinatim, imbricatim undatà, cancellatim reticulatà, in obliquum, in rectum expansà, prædensatà, porrectà, sinuatà: brevi nodo ligatis, toto latere connexis, ad plausum apertis, ad Buccinum incurvis. *Conchitæ.* *Diversa Testaceorũ genera pulcherrimè* à Plinio *exponuntur.*

Quoad Conchitarum generationem eadem recurrit difficultas, quæ supra jam in Cl. 5. proposita est; cùm verò Conchæ à Germanis vocentur: *Muschlen*, Conchitæ appellandi erunt. *Muschlenstein.*

C A-

TABULA GENERICA.

Lapidum Figuratorum Septimæ Classis.

- Conchitæ valvis æqualibus
  - Læves
    - Æquilateri
      - Subrotundi.
      - à cardine ad oram magis elongati.
      - Chamitæ.
    - Inæquilateri
      - Subrotundi.
      - Triquetri.
      - Musculitæ.
      - Rhomboidales.
    - Bucarditæ
      - Ex utràq; parte convexi, & spinà eminente donati.
      - Ex utràq; parte convexi sine spinà.
      - Ex unà parte cum spinà eminente convexi, ex alterà verò concavi.
  - Striati
    - Æquil.
      - Subrotundi.
      - à cardine ad oram magis elongati.
      - à cardine ad oram angustiores.
    - Inæquil.
      - Subrotundi.
      - Triquetri.
      - Rhomboidales.
      - Longi.
    - Striis peculiarib.
      - Helvetici visu prodigiosi.
      - Imbricati.
    - Compressi
      - Pectinitæ.
      - Pectunculitæ.
    - Bucarditæ
      - Ex unà parte convexi, ex alterà verò concavi spinà valdè elatà.
      - Ex unà parte convexi, ex alterà cõcavi, striis ad spinã cõcurrentibus.
- Conchitæ valvis inæqualibus: Anomii dicti
  - Striati, vel Læves cum rostro forato
    - Sine striis cum rostro
      - Terebratulæ
        - Sine Lacunà.
        - Lacunosæ.
  - Sine striis, & rostro
    - Ostracitæ
      - Rugosi.
      - Rugosi undati.
      - Leviter rugosi, & spinosi.
    - Gryphitæ
      - Rugosi sine Lacunà.
      - Rugosi, & Lacunosi.

C A-

CAPUT PRIMUM.

Conchitæ valvis æqualibus læves, & ex utroque latere æqualiter diffusi: Æquilateri dicti.

SI Conchitarum Valvæ tam superior, quàm inferior magnitudine, figurà, & cavitate sibi similes sunt, neque striis à cardine ad oram extensis insignitæ, Valvæ æquales læves vocantur, Cardo autem valvarum est illa pars, quà simul conjunguntur, & oram constituit ipsamet peripheriâ. Ipsi verò Conchitæ, si æqualiter ex utroque latere diffundantur, vel producantur Æquilateri dicuntur. Germanis: *Glattegleichschælige und gleichseitige Muschlenstein.* *Explicatio Tituli.*

GENUS I.

Conchites valvis æqualibus æquilaterus lævis subrotundus.

CConchites æquilaterus subrotundus est, qui à cardine ad oram, & ab uno latere in aliud æqualiter diffusus est, vocaturque *à Luid. in suo Lithoph. Britan. Class. 5. Circinata.* *Conchites subrotundus.*

Species: *Species.*

Conchites æquilaterus subrotundus *Luidio: Circinata* dictus, lævis major cinereus, ventre crassiore, & ad imam oram sensim demissiore.

Conchites æquilaterus subrotundus lævis mediocris subcinereus, ventre crassiore, & ad imam oram sensim demissiore. *Tab. 38. figurà 1.* cum quà convenit. Tab. 38.

Conchites æquilaterus subrotundus lævis minor subcinereus, ventre crassiore, & ad imam oram sensim demissiore.

Conchites æquilaterus subrotundus lævis minimus subcinereus, ventre crassiore, & ad imam oram sensim demissiore.

Conchites æquilaterus subrotundus lævis mediocris cinereus, ventre demisso, & ad imam oram sensim attenuato.

Conchites æquilaterus subrotundus lævis minor cinereus, ventre demisso, & ad imam oram sensim attenuato.

Conchites æquilaterus subrotundus lævis minor flavescens, ventre demisso, & ad imam oram sensim attenuato.

Conchites æquilaterus subrotundus lævis minimus cinereus, ventre demisso, & ad imam oram sensim attenuato.

Conchites æquilaterus subrotundus lævis minimus flavescens, ventre demisso, & ad imam oram sensim attenuato.

Omnes hi Lapides Figurati constant è lapide arenaceo, & in montibus circa urbem Sancti Galli collecti sunt. *Materia, & Locus.*

GENUS II.

Conchites valvis æqualibus æquilaterus lævis, & à cardine ad oram magis elongatus.

Species. SPecies:

Conchites æquilaterus à cardine ad oram magis elongatus lævis major cinereus, ventre crassiore, & ad imam oram sensim attenuato.

Conchites æquilaterus à cardine ad oram magis elongatus lævis mediocris cinereus, ventre crassiore, & ad imam oram sensim attenuato. *Tab.* 38. *fig.* 3. cum quà magnitudine suà convenit.

Tab. 38.

Conchites æquilaterus à cardine ad oram magis elongatus lævis major cinereus, ventre demisso, & ad imam oram sensim attenuato.

Conchites æquilaterus à cardine ad oram magis elongatus lævis mediocris cinereus, ventre demisso, & ad imam oram sensim attenuato.

Materia, & Locus. Enarrati Conchitæ cum prioribus substantiâ conveniunt, & ex iisdem montibus allati sunt.

Conchitæ omnes hucusque adducti figurâ suâ magnam similitudinem habent cum Conchis Fasciatis *Rondeletii*, & proin ad eas referendos puto.

GENUS III.

Conchites valvis æqualibus æquilaterus lævis à cardine ad oram angustior: Chamites dictus.

Chamites. HUnc Lapidem Chamitem voco, quia figurâ suâ Chamam nigram *Rondeletii* præsefert, & pleræque Chamarum species formâ suâ ad hanc accedunt: à Germanis appellari potest *Ein glatter, gleichschæliger, undt gleichseitiger Pfeffer-muschlen-oder Gymmuschlenstein*, secundum *Gesnerum*, qui Chamas ita vocat.

Species. Species:

Chamites lævis maximus cinereus valdè demissus, & parum apertus.

Chamites lævis maximus cinereus, rugosus, ventre crassiore, & ad imam oram sensim attenuato.

Chamites lævis maximus cinereus, angustus, & rugosus, ventre crassiore.

Chamites lævis major cinereus, rugosus, ventre crassiore, & ad imam oram sensim attenuato. *Tab.* 38. *fig.* 5. cum quà convenit.

Tab. 38.

Chamites lævis mediocris cinereus, angustus, & rugosus, ventre crassiore.

Chamites lævis mediocris cinereus, leviter rugosus, ventre crassiore.

Chamites lævis minor cinereus, ventre crassiore.

Chamites lævis minimus subcinereus, ventre crassiore, & semiadapertus.

Chamites lævis minimus subcinereus, ventre crassiore. *Tab.* 38. *fig.* 2.

Chamites lævis mediocris cinereus, leviter rugosus, ventre demissiore, & ad imam oram sensim attenuato.

Chamites lævis mediocris cinereus, valdè demissus.

Cha-


38.
Conchitæ læues.
1
2
3
4
5.
Muscu_ lites.

Chamites lævis minor cinereus, valdè demissus.
Chamites lævis minimus subcinereus, valdè demissus. *Tab.* 38. *fig.* 4. Tab. 38.
Omnes Chamitæ pariter è saxo arenaceo constant, & in montibus circa urbem Sancti Galli inventi sunt. Hìc adverti debet, quòd omnes Conchitæ striis destituti læves vocentur, etiamsi rugosi, vel etiam asperi sint, aut hinc inde striis transversis donati. *Materia, & Locus.*

CAPUT SECUNDUM.

Conchitæ valvis æqualibus læves figurà ex alterò cardinis latere diffusiore: Inæquilateri dicti.

HUcusque descripti fuerunt Conchitæ, qui ex utroque cardinis latere æqualiter diffusi sunt, seu æquilateri, nunc eos recensebimus, quorum Valvæ ex uno cardinis latere diffusiores sunt, & magis producuntur, quos Inæquilateros voco. *Glatte, gleichschælige, undt ungleichseitige Muschlenstein.* *Conchitæ Inæquilateri.*

GENUS I.

Conchites valvis æqualibus Inæquilaterus lævis, subrotundus.

SPecies: *Species.*
Conchites Inæquilaterus subrotundus lævis maximus cinereus, umbone cardinum eminente, & incurvato, ventre crassiore, & versus imam oram sensim attenuato, ac compresso.
Conchites Inæquilaterus subrotundus lævis major cinereus, umbone cardinum eminente, & incurvato, ventre crassiore, & versus imam oram sensim attenuato, ac compresso. *Tab.* 39. *fig.* 4. quam magnitudine æquat. Tab. 39.
Conchites Inæquilaterus subrotundus lævis mediocris cinereus, umbone cardinum eminente, & incurvato, ventre crassiore, & versus imam oram sensim attenuato, ac compresso.
Conchites Inæquilaterus subrotundus lævis minor cinereus, umbone cardinum eminente, & incurvato, ventre crassiore, & versus imam oram sensim attenuato, ac compresso.
Ex eàdem substantià constant, & iisdem in locis cũ prioribus inventi sunt. *Materia, & Locus.*

GENUS II.

Conchites valvis æqualibus Inæquilaterus lævis, Triquetrus.

HUnc Conchitem appello Triquetrum, quia figurà suà quasi triangulum efformat, tribus lateribus non nihil incurvatis. *Einglatter gleichschæliger, und ungleichseitiger dreyeckichter Muschlenstein.* *Conchites Triquetrus.*
Species: *Species.*
Conchites Inæquilaterus Triquetrus lævis maximus cinereus, umbone cardinum eminente, ventre crassiore, & versus imam oram sensim attenuato. Si insuper rugosus esset, tunc illum comparatem cum *Conchite*

te majore, rugoso, ad figuram triquetram accedente List. Tit. 33. pag. 229. de Cochl. Angl.

Conchites Inæquilaterus Triquetrus lævis mediocris cinereus, umbone cardinum eminente, ventre crassiore, & versus imam oram sensim attenuato. *Tab. 39. fig. 5.* cui similis est.

Tab. 39.

Conchites Inæquilaterus Triquetrus lævis minor cinereus, umbone cardinum eminente, ventre crassiore, & versus imam oram sensim attenuato.

Conchites Inæquilaterus Triquetrus lævis minimus cinereus, umbone cardinum eminente, ventre crassiore, & versus imam oram sensim attenuato. *Tab. 39. fig. 6.* cum quà convenit.

Ex eàdem, quà præcedentes, constant substantià, & in iisdem locis inventi sunt, assimilanturque aliquibus Concharum Fasciatarum speciebus, nec non & Chamulis *ab Aldrovando* adductis *lib. 3. de Testac. pag. 470.*

GENUS III.

Conchites valvis æqualibus Inæquilaterus lævis, ex altero cardinis latere valdè productus, & umbone cardinum unito: Musculites dictus.

Musculites. HIc Conchites Musculites dicitur, quia figurà suà Musculos fluviatiles, qui in nostris aquis passim occurrunt, præsefert. *Ein kleiner schvvartzer Seemuschlenstein.*

Species. Species:

Musculites major cinereus, ventricosus, circa imam oram lacunis insignitus.

Musculites mediocris cinereus, ventricosus, & leviter rugosus. *Tab. 38.*

Tab. 38.

Musculites mediocris cinereus compressus. *Conchites leviter rugosus, depressior, figurà quodammodo musculorum è fluviatilibus List. de Lap. Bivalv. Tit. 35. pag. 231.*

Musculites mediocris albus valdè compressus, adapertus, & lapidi fissili immersus. *Tab. 39. fig. 1.*

Tab. 39.

Musculites minor cinereus ventricosus, & leviter rugosus. *Tab. 39. fig. 3.*

Musculitis superioris valva lapidea cinerea lapidi fissili immersa. *Tab. 39. fig. 2.*

Materia, & Locus. Musculites minimus cinereus valdè compressus.

Musculitæ in reliquis cum hucusque descriptis Conchitis conveniunt.

GENUS IV.

Conchites valvis æqualibus Inæquilaterus lævis ex uno cardinis latere valdè productus, & umbone cardinum eminente incurvato, ac quasi unito: Conchites Rhomboidalis dictus.

Conchites Rhomboidalis. DIcitur Conchites Rhomboidalis, quia figurà suà Concham Rhomboidem *Rondeletii* repræsentat.

Species. Species:

Tab. 39. Conchites Rhomboidalis lævis minor cinereus. *Tab. 39. fig. 7.*

Materia, & Locus. E lapide arenaceo constat, & in iisdem montibus occurrit.

CA-

39.

Musculites apertus.



40.

Bucarditæ lævies
ex utraque parte Conuexi.





Unica Ualua
bucarditarum lapidea.



Bucarditis Læuis. 41.

pars conuexa.



pars concaua.



CAPUT TERTIUM.

Conchitæ valvis æqualibus læves insigniter ventricosi: Bucarditæ dicti.

CONchitæ insigniter ventricosi vocantur Bucarditæ, quia assimilantur figurà suà Conchæ Bucardiæ, ita dictæ, quòd cor bovis præseferat, quæ describitur à *Bonanno part. 2. n. 88. pag. 171. Ein glatter Hertz-muschlenstein.* *Bucarditæ.*

GENUS I.

Bucardites lævis ex utràque parte convexus, & spinà eminente donatus.

SPecies: *Species.*

Bucardites lævis ex utràque parte convexus, & spinà eminente donatus major subflavescens. *Tab. 40. fig. 1. & 2.* quarum una partem anteriorem, altera verò posteriorem exhibet. *An Bucardites ex albido flavescens lævis List. Tit. 40. pag. 235. ex D. Plott. fig. 2. Tab. 7.* Tab. 40.

Bucardites lævis ex utràque parte convexus, & spinà eminente donatus minimus subflavescens. *Tab. 40. fig. 3.*

Hi Bucarditæ magnitudine cum figuris conveniunt, & è durissimà materià lapideà conflati sunt: inventi sunt in montibus circa *Bœtstein, & Luggeren* comitatùs Badensis. *Magnitudo, & locus.*

GENUS II.

Bucardites lævis ex utràque parte convexus sine spinà.

SPecies: *Species.*

Bucardites lævis ex utràque parte convexus sine spinà major subcinereus. *Tab. 40. fig. 4. an Bucardites costis donatus Listeri Tit. 41. loc. cit. ex D. Plott. fig. 3. Tab. 7.* Tab. 40.

Bucarditis lævis præcedentis valva lapidea subcinerea separata. *Tab. 40.*

Cum figuris conveniunt, & è lapide arenaceo constant: reperti autem sunt in montibus urbi Sancti Galli proximis. *Magnitudo, & locus.*

GENUS III.

Bucardites lævis ex unà parte cum spinà eminente convexus, ex alterà verò concavus.

SPecies: *Species.*

Bucardites lævis ex unà parte cum spinà eminente convexus, ex alterà verò concavus maximus niger. *Tab. 41.* Tab. 41.

Pulcherrimus hic est lapis in parte convexà lævis ac politus, in concavà verò *Bucardi-*

tis lævis maximi descriptio. verò striis tenuioribus ab umbone cardinum extensis insignitus, quas aliæ majores in parte lapidis inferiore, seu cardini oppositâ transversim intersecant, & opus cancellatum efformant. *Figuras Tab.* 41. quartâ parte superat, & in monte VValdshutio proximo, ac versus Occasum sito repertus est.

CAPUT QUARTUM.

Conchitæ valvis æqualibus æquilateri striati.

Conchitæ striati. POst Conchitas valvis æqualibus læves sequuntur exponendi striati, qui striis à cardine suo ad imam oram usque extensis donati sunt, & germanicè vocari possunt: *Gleichschæligeundgleichseitige gestreifte Muschlenstein*, quorum sit

GENUS I.

Conchites valvis æqualibus æquilaterus striatus subrotundus.

Species. SPecies:

Conchites æquilaterus subrotundus striatus maximus subcinereus, ventricosus, & versus imam oram compressus, fluore testam referente, & transversim striato, hinc inde obtectus. *Tab.* 42. *fig.* 1.

Tab. 42.

Conchitis striati maximi descriptio. Elegantissimus hic lapis magnitudine cùm figurâ suâ convenit, de ejus fluore testam referente pauca post enumerationem omnium specierum Conchitarum valvis æqualibus striatorum dicemus.

Conchites æquilaterus subrotundus striatus major subflavescens, rugosus. *Tab.* 42. *fig.* 4. quam magnitudine suâ quartâ parte superat.

Tab. 42.

Conchites æquilaterus subrotundus striatus mediocris subcinereus, ventricosus. *Tab.* 42. *fig.* 2.

Conchites æquilaterus subrotundus striatus mediocris subflavescens, ventricosus, fluore testam referente hinc inde obtectus.

Conchites æquilaterus subrotundus striatus mediocris cinereus, striis tenuioribus.

Conchites æquilaterus subrotundus striatus mediocris cinereus, striis circa oram magis expansis.

Conchites æquilaterus subrotundus striatus minor cinereus, striis circa oram magis expansis.

Conchites æquilaterus subrotundus striatus minor cinereus, striis tenuissimis.

Conchites æquilaterus subrotundus striatus minimus cinereus. *Tab.* 42. *fig.* 3.

Conchites æquilaterus subrotundus striatus minimus cinereus, striis circa oram magis expansis.

Materia, & locus. Omnes hujus generis species è materia arenaceâ constant, & in montibus circa urbem Sancti Galli inveniuntur.

GE-

Conchitæ Striati Subrotundi. 42.



GENUS II.

Conchites valvis æqualibus æquilaterus striatus, & à cardine ad oram magis elongatus.

SPecies:
Conchites æquilaterus, & à cardine ad oram magis elongatus striatus major cinereus, ventricosus, striis circa oram magis expansis. *Tab.* 43. *fig.* 1. *Species.* Tab. 43.
Conchites æquilaterus, & à cardine ad oram magis elongatus striatus major, cinereus, ventricosus.
Conchites æquilaterus, & à cardine ad oram magis elongatus striatus mediocris cinereus, ventricosus, striis circa oram magis expansis.
Conchites æquilaterus, & à cardine ad oram magis elongatus striatus minor cinereus, ventricosus, striis circa oram magis expansis.
Conchites æquilaterus, & à cardine ad oram magis elongatus striatus minimus, cinereus, ventricosus. *Tab.* 43. *fig.* 2.
Cum prioribus in reliquis omnibus conveniunt, & magnam affinitatem habere videntur cum *Pectunculitis Listeri*. *Materia, & Locus.*

GENUS III.

Conchites valvis æqualibus æquilaterus striatus, à cardine ad oram angustior.

SPecies. *Species.*
Conchites æquilaterus, & à cardine ad oram angustior striatus minor, subcinereus, ventricosus. *Tab.* 43. *fig.* 3. Tab. 43.
Conchites æquilaterus, & à cardine ad oram angustior striatus minimus, subcinereus, ventricosus. *Tab.* 43. *fig.* 4.
Hujus generis Conchitarum paucissimæ inveniuntur species, licet cum præcedentibus quo ad materiam, & loca nativa conveniant. *Materia, & Locus.*

CAPUT QUINTUM.

Conchitæ valvis æqualibus inæquilateri striati.

QUid sint Conchitæ valvis æqualibus striati, & inæquilateri, jam è præcedentibus patet; hinc statim enumerationem generum aggredior; Germanis: *Ungleichseitige gestreifte Muschlenstein.*

GENUS I.

Conchites valvis æqualibus Inæquilaterus striatus subrotundus.

SPecies: *Species.*
Conchites Inæquilaterus subrotundus striatus major, cinereus, ventricosus. *Tab.* 43. *fig.* 5. Tab. 43.
Conchites Inæquilaterus subrotundus striatus major, cinereus, ventricosus.

ſus, ſtriis valdè denſis.

Conchites Inæquilaterus ſubrotundus ſtriatus major ſubcinereus, ventriſus, & rugoſis ſtriis valdè denſis.

Conchites Inæquilaterus ſubrotundus ſtriatus mediocris cinereus, ventricoſus.

Conchites Inæquilaterus ſubrotundus ſtriatus mediocris cinereus, ventricoſus, ſtriis valdè denſis.

Conchites Inæquilaterus ſubrotundus ſtriatus mediocris ſubcinereus, ventricoſus, ſtriis tenuiſſimis.

Conchites Inæquilaterus ſubrotundus ſtriatus minor cinereus, ventricoſus, ſtriis valdè denſis.

Conchites Inæquilaterus ſubrotundus ſtriatus minimus cinereus, ventricoſus, ſtriis valdè denſis.

Materia, & Locus. In omnibus cum ſuperioribus Conchitis etiam iſti conveniunt.

GENUS II.

Conchites valvis æqualibus Inæquilaterus ſtriatus Triquetrus.

Species. SPecies:

Conchites Inæquilaterus Triquetrus ſtriatus maximus ſubcinereus, compreſſus, fluore teſtam referente hinc inde obtectus.

Conchites Inæquilaterus Triquetrus ſtriatus major ſubcinereus, compreſſus, ſtriis tenuioribus, & verſus imam oram attenuatus.

Conchites Inæquilaterus Triquetrus ſtriatus minor ſubcinereus, valdè compreſſus.

Conchites Inæquilaterus Triquetrus ſtriatus major cinereus, ſtriis denſioribus, & inter ſe valdè diſtantibus. *Tab.* 43. *fig.* 6. quam lapis medietate ſuperat magnitudine ſuâ. Tab. 43.

Conchites Inæquilaterus Triquetrus ſtriatus mediocris cinereus, ſtriis latis, & depreſſis, ac verſus imam oram magis expanſis. *Tab.* 44. *fig.* 2.

Conchites Inæquilaterus Triquetrus ſtriatus mediocris cinereus, ſtriis tenuiſſimis, & verſus imam oram potiſſimum apparentibus. *Tab.* 44. *fig.* 3. Tab. 44.

Materia, & Locus. Etiam hi Conchitæ ejuſdem materiæ ſunt cum reliquis, & in iiſdem montibus colliguntur.

GENUS III.

Conchites valvis æqualibus Inæquilaterus ſtriatus ex uno cardinis latere valdè productus, & umbone cardinum eminente incurvato, ac diducto. Conchites Rhomboidalis ſtriatus dictus.

Conchites Rhomboidalis ſtriatus. OB eandem rationem, quà ſuperior Conchites Rhomboidalis lævis dicitur, etiam præſens ita vocatur, majori tamen jure, cùm figurâ ſuâ magis ad Concham Rhomboidem *Rondeletii* accedat, & ſtriis eodem modo diſpoſitis ſit inſignitus.

Species. Hujus Species ſunt.

Conchites Rhomboidalis ſtriatus major cinereus, ventricoſus, ſtriis tenuioribus.

43.

Conchitæ Striati.



Conchites
Rhomboidalis umbone cardinum diducto.



ribus. *Tab.* 43. fig. inf. quam quartà parte magnitudine suà superat. Tab. 43.

Conchites Rhomboidalis striatus mediocris cinereus striis tenuioribus.

Conchites Rhomboidalis striatus minor cinereus, striis densis, & inter se distantibus.

Conchitis Rhomboidalis striati mediocris Valva separata. *Tab.* 44. Tab. 44.

Hanc valvam lapideam Conchitis Rhomboidalis separatam adjungere volui, ut ejus spatium striatum inter cardines situm unà cum orà denticulatà, quà cum oppositá articulari solet, observari possit. Coloris est subflavescentis, & ejus cavitas à materià arenaceà cinereà petrefactà ad medietatem usque occupatur; ubinam sit reperta, me latet, fuit transmissa à *Scheuz.* cum alterà suà socià. Reliqui Conchitæ in omnibus cum præcedentibus conveniunt. *Conchitæ Rhomboidalis striati valva separata descriptio.*

GENUS IV.

Conchites valvis æqualibus striatus inæquilaterus, ex uno cardinis latere productissimus, ex altero brevissimus, umbone cardinum unito: Conchites Longus dictus.

HIc Conchites unà cum suis speciebus Longus vocatur, quia Concham Longam *Rondeletii*, & *Aldrovandi* figurà suà præsefert. *Conchites Longus.*

Species: *Species.*

Conchites Longus striatus major cinereus ventricosus, striis tenuioribus, & ad imam oram attenuatus. *Tab.* 44. *fig.* 1. Tab. 44.

Unicam hanc speciem Conchitæ Longi striati majoris integram vidi.

Conchites Longus striatus major cinereus ventricosus, striis tenuioribus, & ad imam oram attenuatus, ac mutilatus. *Conchites ab uno cardinis latere brevissimus, ab altero longissimè excurrens, striatus Scheuz. fig.* 74. *pag.* 54.

ConchitesLongus striatus minor cinereus, striis densis, & ad imam oram attenuatus.

Conchites Longus striatus minor cinereus, striis densis, & ad imam oram attenuatus, crustà albà testaceà obtectus.

De hàc crustà differetur inferiùs, cùm mentio fiet de fluore testaceo.

Conchites Longus striatus minor cinereus, striis tenuissimis, & ad imam oram tantùm apparentibus.

Conchites Longus striatus minimus cinereus, striis densis, & ad imam oram attenuatus.

Conchites Longus striatus minimus subcinereus, striis densis, & inter se distantibus.

Conchites Longus striatus minimus subcinereus, striis tenuissimis. *Tab.* 44. *fig.* 4. Tab. 44.

Conchitæ Longi è substantià arenaceà constant, & potissimum in montibus vicinis urbi Sancti Galli reperiuntur, nonnunquam tamen etiam occurrunt in monte Legerio, sicuti in montibus comitatùs Badensis, Randio, &c. *Materia, & Locus.*



CAPUT SEXTUM.

Conchitæ valvis æqualibus striati striis peculiaribus, & ab aliorum Conchitarum striis differentibus.

POst enumeratas differentias Conchitarum striatorum à figurà proprii corporis desumptas, proponendæ sunt illæ, quæ à diversitate striarum dependent, quarum sit

GENUS I.

Conchites valvis æqualibus striatus striis in medià testæ parte à cardine ad oram, in alterà verò ex uno latere ad aliud transversim excurrentibus: Conchites Helveticus visu prodigiosus dictus.

Conchites Helveticus visu prodigiosus.

HUnc Conchitem voco Helveticum visu prodigiosum, primò: quia in nullis aliis regionibus, quàm in Helvetià hucusque repertus est, & secundò: quia figurà suà Concham Indicam visu prodigiosam *Bonan. n.* 91. repræsentat, cui cùm simillimus sit figurà, & striis, non abs re erit, integram conchæ descriptionem ex Authore huc adducere.

Concha Indica visu prodigiosa Bonanni descriptio.

Concha Indica, inquit, visu prodigiosa, sinuosis rugis aspera, maris undas Favonio crispatas repræsentat. Inter cætera hoc singulare habet in crispis, quòd ita disponuntur, ut in medià testæ facie à cardine ad oram, in alterà verò parte ex uno latere in aliud excurrant, & si tunicæ, quibus componitur, detegantur, transverso, & miro ordine contextæ videantur, maculis furvi, vel castanei coloris Insularum instar in mari sine ordine dispositis notatur.

Species.

Species:

Conchites Helveticus visu prodigiosus Triquetrus striatus major subflavescens.

Conchites Helveticus visu prodigiosus Triquetrus striatus mediocris subflavescens. *Tab.* 44.

Tab. 44.

Conchites Helveticus visu prodigiosus striatus minor subflavescens.

Conchites Helveticus visu prodigiosus striatus minimus subflavescens.

Materia, & locus.

Omnes è lapide calcario flavescente constant, & in montibus comitatùs Badensis prope *Bœtstein*, & *Luggeren* inveniuntur.

GENUS II.

Conchites valvis æqualibus striatus striis omnium maximis: Conchites Imbricatus dictus.

Conchites Imbricatus.

HIc Conchites Imbricatus vocatur, quia figurà sua Concham Imbricatam *Rondeletii* repræsentat.

Species.

Species:

Conchites Imbricatus Triquetrus maximus subcinereus.

Tab. 45.

Conchites Imbricatus Triquetrus major subcinereus. *Tab.* 45.

Con-


Præcedentis Ualua Separata.
Conchites Longus umbone cardinum unito.
44
1
Conchites Helueticus Striis inæqualibus visu prodi[illegible]gios9.
2
3
4



45.

Conchites Imbricatus maior.



Pectunculites Listeri.



Pectinites auritus.



Pectunculus minimus.

Conchites Imbricatus oblongus quadrangulus major subflavescens.
Conchites Imbricatus subrotundus minor subflavescens.

Conchitæ Imbricati etiam è lapide calcario constare videntur, sed in superficie suà plerumque tali materiâ obtegunturs, quæ substantiâ suà proximè ad fluorem accedit. Figurâ suà valdè variant, etenim modò sunt subrotundi, modò quadranguli, modò oblongi, ita ut nullam certam figuram habeant. Inveniuntur cumprioribus in iisdem locis. *Materia.* *Locus.*

CAPUT SEPTIMUM.

Conchitæ valvis æqualibus striati valdè compressi, æquilateri.

CONchitas valdè compressos voco illos, qui nullum prorsus ventrem habent, & quorum valvæ quasi planæ sunt, vel tantillum tantùm circa cardines elevantur. *Gleichschalige und gleichseitige gestreifte und niedere Muschlenstein.* *Conchitæ valdè compressi.*

GENUS I.

Conchites valvis æqualibus striatus valdè compressus, & ex utroque latere æqualiter diffusus: Pectunculites dictus Listero.

HIc Conchites vocatur Pectunculites, quia figurâ suà Pectines *Rondeletii* quidem repræsentat, sed nunquam auritus est, neque tantæ magnitudinis, ac sunt Pectinitæ, invenitur. *Ein Kleiner Jacobs-muschelstein.* *Pectunculites.*

Species. *Species.*

Pectunculites mediocris subcinereus. *Tab.* 45. Tab. 45.
Pectunculites mediocris subcinereus, striis versus oram magis expansis.
Pectunculites minor subcinereus.
Pectunculites minimus subcinereus, rugosus, striis densioribus, & extra imam oram productis. *Tab.* 45. *fig.* 1. Tab. 45.
Pectunculites omnium minimus subcinereus, rugosus, striis densioribus, & extra imam oram productis. *Tab.* 45. *fig.* 2.

Constant è lapide arenaceo, & in montibus circa urbem Sancti Galli occurrunt, minores quandoque etiam in monte Legerio reperiuntur. *Materia, & Locus.*

GENUS II.

Conchites valvis æqualibus striatus valdè compressus, & ex utroque latere æqualiter diffusus auritus: Pectinites dictus.

PEctinites ita vocatur, quia figurâ suà Pectinem *Rondeletii* repræsentat, & etiam simili modo auritus est, id est, donatus duabus appendicibus ad cardinem sitis, ex quoliber nempe latere unâ. Concha autem Pecten dicitur, quia quodammodo pectini instrumento capillis pectendis apto assimilatur, *Vid. Gesn. de Aquat. pag.* 816. *Ein Kampmuschel*, unde lapis: *Ein* *Pectinites.*

Kamp-muschelstein appellari poterit, vel ad differentiam antecedentis: *Ein grosser Jacobs-muschelstein*.

Species:

Pectinites maximus subcinereus rugosus, striis latissimis.

Pectinites major subcinereus rugosus, striis latissimis.

Pectinites major subcinereus, striis latioribus, majori ex parte fluore testam referente obtectus. *Tab.* 45. (Tab. 45.)

Pectinites mediocris subcinereus rugosus, striis latissimis.

Pectinites mediocris subcinereus, striis latioribus.

Pectinites mediocris subcinereus, striis versus oram tantùm magis expansis.

Materia, locus. Ex lapide arenaceo constant, & in iisdem montibus cum prioribus reperti sunt.

CAPUT OCTAVUM.

Conchitæ valvis æqualibus striati insigniter ventricosi: Bucarditæ dicti.

CUm jam superiùs in capite de Bucarditis lævibus sufficienter expositum sit, quales Lapides Figurati per Bucarditas intelligantur, & unde nomen suum trahant, plura hìc addenda non censeo: à Germanis appellari poterunt: *Gestreifte Hertzstein*.

GENUS I.

Bucardites striatus ex unà parte convexus, ex alterà verò concavus, spinà valdè elatà.

Species. SPecies:

Bucardites striatus maximus fuscus ex unà parte convexus, ex alterà verò concavus, spinà valdè elatà.

Bucardites striatus minor fuscus ex unà parte convexus, ex alterà verò concavus, spinà valdè elatà.

Materia, & Locus. E lapide calcario constant, & in montibus circa pagum *VValdkirch* leucà VValdshutio distantem reperiuntur.

GENUS II.

Bucardites striatus ex unà parte convexus, ex alterà verò concavus, striis ad spinam concurrentibus.

Species. SPecies:

Bucardites striatus maximus subflavescens ex unà parte convexus, ex alterà verò concavus, striis densioribus ad spinam concurrentibus.

Bucardites striatus major fuscus ex unà parte convexus, ex alterà verò concavus, striis ad spinam concurrentibus.

Bucardites striatus minor nigricans ex unà parte convexus, ex alterà verò con-

46

Bucardites Striatus.

pars conuexa. 1.



pars concaua. 2.



Matrices Conchitarum.

1

2



Conchitæ membranacei matrici imersi.

4



3



concavus, ſtriis ad ſpinam concurrentibus. *Tab. 46. fig. 1. & 2.* quarum prior partem convexam, altera autem concavam exhibet. Tab. 46.

Bucardites ſtriatus minimus ſubflaveſcens ex unà parte convexus, ex alterà verò concavus, ſtriis tenuioribus ad ſpinam concurrentibus.

Matrix Conchitarum è lapide arenaceo, cui plures Muſculitæ immerſi ſunt *Tab. 46. fig. 1.* quam ter magnitudine ſuà ſuperat.

Matrix Conchitarum è lapide calcario, cui plura Conchitarum genera immerſa ſunt. *Tab. 46. fig. 2.* quam etiam ter mole ſuà ſuperat.

Matrix Conchitarum è lapide arenaceo, cui plures Conchitæ ſtriati immerſi ſunt. *Tab. 46. fig. 3.* quà unà vice major eſt. *Materia, & Locus.*

Ex eàdem materiâ, ac priores conſtant, & in iiſdem montibus colliguntur.

CAPUT NONUM.

Conchitæ Membranacei deſcribuntur unà cum cruſtà albicante teſtam referente, quæ quandoque Conchitis inhæret.

PRæter dictas Conchitarum matrices habetur una, quæ ex Ocrà ſubviridi conſtat, & cui plures Conchitæ Membranacei ſubalbidi immerſi ſunt, qui ad Pectunculitas proximè accedunt, uti videre eſt *in Tab. 46. fig. 4.* quam lapis magnitudine ſuà ſemel ſuperat. Tab. 46.

Hi Conchitæ ſummoperè in dubium revocant opinionem diluvianam, quæ aſſerit, quòd Conchitæ ſint Reliquiæ maris in Cataclyſmo Univerſali ad montes delatæ, & ibi petrificatæ, magiſque confirmant contrariam ſententiam, quæ nimirum vult, Conchitas in terrâ vi plaſticâ determinati ſeminis è materiâ lapideſcente hujuſmodi ſeminio impregnatâ generari: conſtant enim è laminâ tenuiſſimâ, Chartâ Auguſtâ, ſeu curſoriâ, vulgò *Poſtpapier* non craſſiore, rariſſimis ſtriis à cardine ad oram excurrentibus inſigniti, quæ unà cum figurâ Conchitis matrici imprimi ſolent, ita ut in illâ ablatâ Conchitis laminâ forma ejus integra remaneat. Noſtri Conchitæ Membranacei ſunt albicantes, & figuris *in Tab. 46.* exhibitis unà vice majores; modò faciem externam, ſeu convexam, modò internam, ſeu concavam conſpiciendam præbent, ut ex icone patet. *Conchitarum Membranaceorum Ocræ ſubviridi inhærentium deſcriptio.* Tab. 46.

Hujuſmodi autem Conchas in mari generari, impoſſibile videtur; nam ob ſubtiliſſimam ſuam ſtructuram, nec piſcem continere poſſent, nec violentis undarum aquæ motibus reſiſtere, quin in mille diſſilirent fruſta, quanto minùs proinde potuiſſent in furente illâ inundatione integræ ad montes transferri, & illæſis tenuiſſimis ſuis partibus ab ingenti arenarum mole obrui. Veriſimilius igitur eſt, Conchitas Membranaceos ſub terrâ à peculiari ſemine productos fuiſſe, quod tanquam minutiſſimum corpuſculum ſine minimâ ſuæ ſtructuræ jacturâ poros terræ unà cum vaporibus aqueis, vel etiam ipsâ aquâ faciliter penetrat, & in matrice proportionatâ à calore ſubterraneo fœcundatum, tenuiſſimum fluorem, in quem impingit, in formam *Conchitæ Membranacei dubiam reddunt Diluvianorum ſententiam.*

mam sibi ab æterno Creatore præfixam summo cum artificio expandit, corpusque suæ speciei efformat, magis vel minùs perfectum, prout nimirum spatium matricis, & fluoris dispositio, ac quantitas admittunt.

Conchitarum membranaceorum locus.

Conchitæ nostri Membranacei allati sunt ex alpibus Glaronensibus, & Suitensibus, ubi in cavernis sub terrâ colliguntur.

Quod Opinioni diluvianæ secedit per Conchitas Membranaceos, ut eò minùs credi debeat, supplere videtur, tanquam manifestum Reliquiarum Diluvianarum Argumentum fluor ille, seu crusta, non tantùm figurâ suâ externâ, ac striis, sed ipsâ quoque substantiâ veram testam referens, quæ in pluribus Conchitis striatis, & tuberculis donatis, imò intra ipsas matrices sæpius deprehenditur, magnàque ex parte eorum superficiem obtegit; Etenim explicatu difficile est, quomodo ex fluoribus subterraneis mediante semine extraneo substantia produci possit, quæ tam structurâ internâ, quàm externâ testæ alicujus conchæ prorsus similis sit.

Crusta albicans, & substantiâ testaceam referens. Diluvianis favet.

Ut verum fatear, hoc est magis ponderosum Diluvianorum fundamentum, quod ad stabiliendam suam conjecturam adducere queant, si autem consideretur magna illa affinitas, & similitudo, quæ intercedit inter substantiam testarum, & illam lapidum, præsertim fluorum lapideorum, nullus inficias ibit, quòd non etiam eâdem facilitate è fluore ad substantiam testaceam proximè accedente, & debitè disposito, à principio testaceorum proprio, substantia testis concharum, tam quoad internam texturam, quàm externam structuram simillima sub terrâ in matrice proportionatâ efformari possit, ac produci solet in mari, præsertim cùm sæpius jam observatum fuerit, è hujusmodi fluoribus corpora sub terrâ formari, quæ quoad texturam suam cum corporibus, licet alterius speciei, & substantiæ, prorsus conveniunt. Sic Unicornu Fossile, quod etiam è fluore lapideo constat, & quidem tali, qui ad dictum fluorem Conchitarum tam quoad substantiam, quàm quoad texturam, aliaq; accidentia proximè accedit, quandoque cornua, quandoque dentes, nonnunquam etiam lignum præsefert, etiamsi nil minus sit. Deinde si tales fluores, aut crustæ testam referentes essent reliquiæ Concharum Diluvianarum, cur non in omnibus hujusmodi lapidibus figuratis observantur, & tantùm in paucissimis, imò in lævibus ferè nullis, cùm tamen eadem ratio tam pro uno, quàm alio lapide pugnet, & testæ omnes propter substantiam suam lapideam tam faciliter nec putrefiant, nec consumantur.

CAPUT DECIMUM.

Conchitæ valvis inæqualibus: Anomii dicti, compressi sine striis, & rostro: Ostracitæ quibusdam.

Conchitæ Anomii.

POst Conchitas valvis æqualibus recensendi sunt ii, quorum valvæ sunt inæquales, seu magnitudine, & figurâ, aut utroque modo inter se differunt, uno verbo Anomii dicti, quorum agmen ducunt Conchitæ Anomii compressi sine striis, & rostro: Ostracitæ vocati, quia figurâ suâ Ostreas marinas *Rondeletii*, *& Bellonii &c.* præseferunt, quæ germanico

Ostracitæ

Idio-

47.

Conchitæ Anomý sine rostro Ostracitæ dicti.





Ostracitæ Spinosæ.

Matrix Ostracitarum.

Idiomate *Austeren* appellantur, & ideo etiam lapides tali modo figurati *Austerenstein* nuncupandi sunt.

Omnes Ostracitæ, quoscunque vidi, è fluore seleuitico laminas testaceas referente, constructi sunt, quæ laminæ sibi invicem imponuntur, & quo magis cardini approximantur, breviores, & tenuiores fiunt. *Ostracitarum descriptio.*

GENUS I.

Ostracites rugosus.

SPecies: *Species.*

Ostracites rugosus major subcinereus subrotundus. *Tab.* 47. *fig.* 1. quà quartà parte major est. Tab. 47.

Ostracites valdè rugosus major subflavescens oblongus.

Ostracites valdè rugosus mediocris subcinereus, & rotundus.

In monte Legerio, Randio, item in montibus comitatùs Badensis circa *Bœtstein, Luggeren*, & circa urbem Sancti Galli sitis inveniuntur. *Locus.*

GENUS II.

Ostracites rugosus undatus.

SPecies: *Species.*

Ostracites valdè rugosus, & undatus major subcinereus oblongus. *Tab.* 47. *fig.* 3. Tab. 47.

Ostracites rugosus, & undatus mediocris subcinereus subrotundus. *Tab.* 47. *fig.* 2.

Ostracites rugosus, & undatus minor subflavescens subrotundus.

In iisdem locis cum prioribus occurrunt. *Locus.*

GENUS III.

Ostracites leviter rugosus, & spinosus.

SPecies: *Species.*

Ostracites leviter rugosus, & spinosus minor subcinereus subrotundus, vermiculis donatus. *Tab.* 47. *fig.* 1. Tab. 47.

Ostracites leviter rugosus, & spinosus minor subcinereus subrotundus.

Ostracites leviter rugosus, & spinosus minimus subcinereus subrotundus. *Tab.* 47. *fig.* 2. *Conchula fossilis Echinata Scheuz. pag.* 49. *Spec. Lith. Helv.*

In hoc minimo Ostracite spinoso duæ exhibentur valvæ sibi contrario modo unitæ, prout nimirum in monte Legerio inventæ sunt, in superiore repræsentatur pars valvæ convexa, seu exterior, in inferiore verò pars leviter concava, & quasi plana, seu interna.

Omnes in monte Legerio inventi sunt unà cum matrice subsequenti. *Locus.*

Matrix Ostracitarum minimorum subcinerea. *Tab.* 47. è lapide calcario constare videtur. *Ostracitarum matrix.*

C A-

CAPUT UNDECIMUM.

Conchitæ Anomii sine striis rostro prominulo non pertuso: Gryphitæ dicti Luidio.

HOc Conchitarum Genus à *Clar. Luid.* satis propriè vocatur Gryphites, sine dubio, quia non ineptè ungues falcatos alicujus Gryphi repræsentat, ideòque omnes subsequentes species hoc nomine vocandæ sunt; fortè Germanis: *Ein Grypff-muschelstein.*

Gryphitæ. Gryphitæ apud nos tam familiares sunt, ut copiâ, & frequentiâ suâ Belemnitis minimè cedant, vixque detur mons, in quo Lapides Figurati colligi solent, ubi non etiam Gryphitæ occurrant. Majores autem, & pulchriores inveniuntur in montibus comitatûs Badensis prope *Bœtstein*, & *Luggeren*. *Locus.*

Materia. Videntur omnes è fluore selenitico, sed parum defæcato constare, & è plurimis laminis sibi invicem impositis, ac è rostro prodeuntibus. Cum quo autem concharum genere comparandi sint, valdè dubito: nam figurâ suâ certam concham non præseferunt, propiùs quidem ad Ostreas accedunt, præsertim marinas *Rondeletii*, sed utrum revera cum iis conveniant, asserere pro certo, non audeo.

GENUS I.

Gryphites Rugosus.

Species. SPecies:

Gryphytes rugosus maximus subflavescens, rostro subtereti, & adunco. *Conchites Anomius rugosus rostro subtereti, & insigniter adunco donatus List. Tit.* 45. *pag.* 238. 18. *Tab.* 4. *D. Plott.*

Tab. 48. Gryphites rugosus major subflavescens rostro subtereti, & adunco. *Tab.* 48. *fig.* 1. *Gryphites major sive latiusculus longirostrer lacunâ subinde insignitus Luid. Class.* 5. *Lith. Brit.*

Gryphites rugosus major subflavescens, rostro subtereti, & adunco cum suo operculo. *Tab.* 48. *fig.* 2.

Gryphites rugosus mediocris subflavescens, rostro subtereti, & valdè adunco.

Gyphites rugosus minor subflavescens, rostro subtereti, & valdè adunco.

GENUS II.

Gryphites rugosus, & lacunosus.

Gryphites rugosus, & lacunosus. HIc differt à prioribus, quia lacunâ seu sulco à rostro ad alteram extremitatem usque porrecto, ex uno tamen latere tantùm, insignitus est, & utplurimum rostrum dextrorsum, vel sinistrorsum reflexum habet, unde dubito, an non ad Curvirostras *Luidii* reducendus sit: lacuna seu sulcus in

Gry-

48.

Conchitæ Anomij rostro prominulo non pertuso

Gryphitæ Luidio.



Matrix Gryphitarum

Lacunosorum.

Conchitæ Anomij rostro prominulo ueluti pertuso

Listeri.

Terebratulæ Luidio

Terebratulæ Striatæ.

Gryphitis matrici immersis optimè exprimitur *in Tab.* 48. *lit. A.* Tab. 48.

Species:

Gryphites rugosus, & lacunosus mediocris subflavescens, rostro subtereti, & adunco. *Tab.* 48. *Mat. Gryph.*

Gryphites rugosus, & lacunosus minor subflavescens, rostro subtereti, & adunco.

Matrix Gryphitarum è lapide calcario conflata.

Cum prioribus inveniuntur in iisdem montibus.

Majores autem inventi sunt in montibus comitatûs Badensis circa *Bœtstein, & Luggeren;* aliàs colliguntur etiam in omnibus iis montibus, in quibus Belemnitæ reperiuntur. *Locus.*

CAPUT DUODECIMUM.

Conchitæ Anomii læves rostro prominulo veluti pertuso Listeri: *Terebratulæ* Luidio *dicti.*

SEquentes Conchitæ Anomii verè læves nuncupari possunt, quia nec striati, nec rugosi sunt, & licet more præcedentium videantur è pluribus laminis sibi invicem impositis componi, tamen ita una alteri in extremitate suà adaptatur, ut lævitati nihil prorsus derogetur.

Materia omnium videtur selenitica, modò magis, modò minùs depurata, & maximus nucem avellanam majorem magnitudine suà non multùm excedit. *Terebratularum lævium materia.*

Structura horum Conchitarum Anomiorum longè diversa est ab eà, quà donati sunt hucusque enarrati, constant quidem etiam è duabus valvis inæqualibus, sed quarum una circa verticem contracta, & parvi rostri in modum elongata est, ac supra alteram ita reflectitur, ut ejus cardinem prorsus involvat, illudque foraminulum efformet, quod in extremitate rostri observatur, propter quod *Listerus* illos rostro prominulo veluti pertuso vocat, *Luidius* verò Terebratulas, quod nomen, cùm illis optimè conveniat, retinebimus. *Descriptio.*

Ad quale Concharum genus hujusmodi Lapides Figurati referendi sint, nec dubitare licet, multò minùs quidquam certi statuere, nam illis simile testaceum hucusque in mari inventum non est, ita *Fabius Columna è Nobilissimâ Italorum Familiâ*: Mirum quidem, ait, hujusmodi testas recentes, & vivas hodie non reperiri, quamobrem è longâ maris alluvione profectas, & adductas censemus potius, quàm naturam desiisse, similes parere. *Non datur Concharũ genus iis simile.*

GENUS I.

Terebratula lævis.

SPecies: *Species.*

Terebratula lævis mediocris subcinerea oblonga ventricosa.

Terebratula lævis mediocris subcinerea subrotunda ventricosa. *Tab.* 48. *fig.* 1. Tab. 48.

Terebratula lævis mediocris subalbida, & subrotunda.
Terebratula lævis mediocris cinerea, & subrotunda.
Terebratula lævis minor cinerea oblonga, ventricosa.
Terebratula lævis minor subcinerea oblonga.
Terebratula lævis minor subalbida, & subrotunda.
Terebratula lævis minor subflavescens, & subrotunda compressa.
Terebratula lævis minor cinerea, & subrotunda compressa.
Terebratula lævis minima cinerea oblonga.
Terebratula lævis minima subalbida, & subrotunda.
Terebratula lævis minima subflavescens, & subrotunda.
Terebratula lævis minima cinerea, & subrotunda.
Terebratula lævis minima subalbida, & subrotunda compressa.
Terebratula lævis minima subflavescens, & subrotunda compressa.

Locus. Inveniuntur copiosè in monte Legerio, Randio, comitatu Neoburgensi ad Sionem fluvium, *à Souchie*, *à Hauterive*, & multis aliis in locis.

GENUS II.

Terebratula lævis lacunosa.

Terebratula Lacunosa. Species. SEquentes Terebratularum species lacunosæ vocantur, quia lacunis ab imà orà versus verticem directis, modò unicà, modò pluribus donatæ sunt.

Species:

Terebratula lævis minor subalbida, valvà inferiore unicà lacunà donatà.
Terebratula lævis minor subcinerea, & subrotunda, valvà inferiore unicà lacunà donatà.
Terebratula lævis minor subflavescens, valvà inferiore unicà lacunà donatà.
Terebratula lævis minima subalbida, valvà inferiore unicà lacunà donatà.
Tab. 48. *Tab. 48. fig. 2.*
Terebratula lævis mediocris subcinerea, valvà superiore unicà lacunà donatà.
Terebratula lævis mediocris cinerea oblonga, ventricosa, valvà inferiore triplici lacunà donatà.
Terebratula lævis minor cinerea triangularis, ventricosa, valvà inferiore triplici lacunà donatà.
Terebratula lævis major subcinerea ventricosa, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis.
Terebratula lævis mediocris subcinerea ventricosa, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis.
Terebratula lævis minor subalbida triangularis, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis.
Terebratula lævis minor subalbida ventricosa, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis.
Terebratula lævis mediocris cinerea oblonga, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis. *Tab. 48. fig. 3.*
Tab. 48. Terebratula lævis minor cinerea oblonga, valvà inferiore triplici, superio-

periore verò duplici lacunà donatis.

Terebratula lævis minor cinerea oblonga, & ex alterà cardinis parte in acumen desinens, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis.

Terebratula lævis minor subflavescens oblonga, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis.

Terebratula lævis minima subalbida oblonga, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis.

Terebratula lævis mediocris cinerea oblonga compressa, & valdè tenuis, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis.

Terebratula lævis minor cinerea oblonga compressa, & valdè tenuis, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis. *Tab.* 48. *fig.* 4. Tab. 48.

Terebratula lævis minor subflavescens subrotunda compressa, & valdè tenuis, valvà inferiore triplici, superiore verò duplici lacunà donatis.

Terebratula, lævis mediocris cinerea oblonga, materià metallicà obducta.

Eadem cum prioribus loca nativa habent. De Terebratulis oblongis compressis, & valdè tenuibus sequentia annotanda veniunt; primò: quòd ambæ valvæ simul compressæ crassitiem pergamenæ non excedant, secundò: quòd impossibile videatur, aliquem pisciculum intra eas delitescere potuisse, & tertiò: quòd neque valvæ ita compressæ antea magis fuerint dilatatæ, & ventricosæ, nam postea sine ruptione, vel saltem figuræ immutatione hoc modo comprimi non potuissent, quæ omnia manifestè persuadere videntur, Terebratulas compressas, & valdè tenues in terrâ fuisse productas.

Locus.

Nonnullæ annotationes circa Terebratulas compressas opinioni Diluvianæ non favẽtes.

GENUS III.

Terebratula Striata.

SPecies:

Species.

Terebratula striata major cinerea ventricosa, striis crassioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfusa,

Terebratula striata mediocris cinerea ventricosa, striis crassioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfusa. *Tab.* 48. *fig.* 4. Tab. 48.

Terebratula striata mediocris cinerea ventricosa, striis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfusa.

Terebratula striata mediocris subflavescens ventricosa, striis crassioribus, & parum aperta.

Terebratula striata mediocris subflavescens ventricosa, striis tenuioribus.

Terebratula striata mediocris subflavescens ventricosa, striis tenuioribus, & valvà superiore ex alterà cardinis parte elongatà, circa cardinem armaturà argenteà perfusa.

Terebratula striata minor cinerea ventricosa, striis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfusa. *Tab.* 48. *fig.* 3. Tab. 48.

Terebratula striata minor subflavescens ventricosa, striis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfusa.

Terebratula ſtriata minor ſubcinerea ventricoſa pellucida, ſtriis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata minor ſubcinerea ventricoſa, ſtriis tenuioribus verſus marginem tantùm apparentibus.

Terebratula ſtriata minor ſubcinerea ventricoſa, & parum aperta, ſtriis tenuioribus verſus marginem tantùm apparentibus.

Terebratula ſtriata minima ſubcinerea ventricoſa, ſtriis tenuioribus verſus marginem tantùm apparentibus.

Terebratula ſtriata mediocris cinerea, ſtriis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata mediocris ſubcinerea, ſtriis tenuioribus elegantiſſimis.

Terebratula ſtriata mediocris cinerea, ſtriis tenuiſſimis.

Terebratula ſtriata mediocris ſubflaveſcens, ſtriis tenuioribus.

Terebratula ſtriata mediocris ſubcinerea, ſtriis craſſioribus.

Terebratula ſtriata minor ſubflaveſcens, ſtriis tenuioribus.

Terebratula ſtriata minor ſubcinerea, ſtriis tenuiſſimis.

Terebratula ſtriata minima ſubflaveſcens, ſtriis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa. *Tab.* 48. *fig.* 2.

Tab. 48.

Terebratula ſtriata minima cinerea, ſtriis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata minima ſubcinerea pellucida, ſtriis tenuioribus.

Terebratula ſtriata mediocris cinerea compreſſa, ſtriis craſſioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata mediocris cinerea compreſſa, & alata, ſtriis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata mediocris ſubflaveſcens compreſſa, ſtriis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata minor ſubflaveſcens compreſſa, ſtriis tenuioribus, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa. *Pectunculites parvus capillaribus ſtriis notatus Scheuz. Lith. Helv. pag.* 23. *fig.* 29.

Terebratula ſtriata minima ſubcinerea compreſſa, ſtriis tenuiſſimis. *Tab.* 48. *fig.* 1.

Tab. 48.

Locus.

In iiſdem locis cum prioribus inveniuntur.

Terebratula ſtriata pellucida in dubium revocant opinionem diluvianam.

Per Terebratulas ſtriatas pellucidas non parum confirmari videtur opinio noſtra, quòd nimirum hujuſmodi Lapides Figurati ſub terrà de novo generentur; jam ſuprà probatum eſt, quòd potior pars tam Cochlitarum, quàm Conchitarum ſtriatorum è materià intra cavitatem cochlearum, vel concharum petrificatà non produci potuerit, nunc multò minùs poteſt concipi, quomodo teſta unà cum materià contentà mediante petrificatione in lapidem pellucidum converti poſsit; reſtat igitur credendum, Terebratulas ſtriatas pellucidas ſub terrà è materià ſeleniticà ſufficienter depuratà de novo generari poſſe.

Terebratulæ striatæ Lacunosæ.



Matrices Terebratularum.





GENUS IV.

Terebratula ſtriata lacunoſa.

SPecies: *Species.*

Terebratula ſtriata mediocris ſubcinerea, ſtriis maximis, valvà ſuperiore profondiſſimà lacunà donatà.

Terebratula ſtriata mediocris ſubcinerea, ſtriis majoribus, valvà ſuperiore levi lacunà donatà.

Terebratula ſtriata mediocris cinerea, ſtriis majoribus, valvà ſuperiore levi lacunà donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa. *Tab. 49. fig. 1.* Tab. 49.

Terebratula ſtriata mediocris ſubcinerea, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore levi lacunà donatà.

Terebratula ſtriata mediocris ſubcinerea, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore lacunà latiore donatà, & ad oppoſitam faciem circa imam oram incurvatà, inferiore verò ex utroque latere prope cardinem parum reflexà.

Terebratula ſtriata mediocris ſubcinerea ventricoſa, ſtriis majoribus, valvà ſuperiore lacunà donatà, & valdè elongatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata mediocris ſubflaveſcens ventricoſa, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore levi lacunà donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata mediocris ſubflaveſcens ventricoſa, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore levi lacunà donatà, & imà orà verſus cardinem reflexà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata mediocris ſubflaveſcens ventricoſa, ſtriis tenuioribus circa oram tantùm apparentibus, valvà ſuperiore levi lacunà donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata mediocris cinerea, ſtriis majoribus, valvà ſuperiore lacunà latà, & profundà donatà.

Terebratula ſtriata minor cinerea ventricoſa, ſtriis majoribus, valvà ſuperiore lacunà anguſtà, & profundà donatà, atque elongatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata minor ſubcinerea ventricoſa, ſtriis majoribus, valvà ſuperiore lacunà donatà, & valdè elongatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata minor ſubflaveſcens ventricoſa, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore levi lacunà donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata minor marcaſitacea fuſca ventricoſa, ſtriis in exortu ſuo tenuioribus, & verſus oram dilatatis, valvà ſuperiore levi lacunà donatà.

Terebratula ſtriata minor marcaſitacea fuſca ventricoſa, ſtriis latioribus, valvà ſuperiore levi lacunà donatà.

Terebratula ſtriata minor cinerea, ſtriis majoribus, valvà ſuperiore lacunà latà, & profundà donatà.

Tere-

Terebratula ſtriata minor cinerea, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore lacunà latà donatà, hinc illinc armaturà argenreà perfuſa.

Terebratula ſtriata minor rufula, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore lacunà latà donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata minor ſubfuſca, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore lacunà latà donatà.

Terebratula ſtriata minor ſubflaveſcens pellucida, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore lacunà latà donatà. *Tab. 49. fig. 2.*

Terebratula ſtriata minima ſubflaveſcens ventricoſa, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore levi lacunà donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.
Tab. 49. *Tab. 49. fig. 3.*

Terebratula ſtriata minima ſubflaveſcens oblonga ventricoſa, ſtriis majoribus, valvà ſuperiore lacunà levi donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata minima cinerea, & pellucida, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore lacunà levi donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa. *Tab.*
Tab. 49. *49. fig. 4.*

Terebratula ſtriata minima rufula, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore lacunà levi donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata minima ſubflaveſcens, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore lacunà levi donatà, hinc illinc armaturà argenteà perfuſa.

Terebratula ſtriata mediocris ſubcinerea compreſſa, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore unicà, inferiore verò duplici lacunà donatis.

Terebratula ſtriata minor ſubcinerea compreſſa, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore unicà lacunà donatà.

Terebratula ſtriata minor ſubflaveſcens compreſſa, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore unicà lacunà donatà.

Terebratula ſtriata minor ſubflaveſcens tenuiſſimè compreſſa, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore unicà lacunà donatà.

Terebratula ſtriata minima ſubflaveſcens tenuiſſimè compreſſa, & pellucida, ſtriis tenuioribus, valvà ſuperiore unicà lacunà donatà.

Tab. 49. Terebratula ſtriata maxima cinerea, fluore metallico perfuſa. *Tab. 49. fig. 1. in 2. ſer.*

Terebratula ſtriata minor cinerea, fluore metallico perfuſa. *Tab. 49. fig. 5. in primà ſerie.*

Matrices Terebratularum. Matrix Terebratularum lævium mediocrium cinerea, cui adhuc una immerſa eſt. *Tab. 49. fig. 2. & 3.* hæc typum à Terebratulà matrici impreſſum exhibet, illa verò Terebratulam ipſam ex oppoſitâ parte immerſam.

Matrix Terebratularum ſtriatarum ſtriis majoribus cinerea, cui adhuc
Tab. 49. una mediocris inhæret. *Tab. 49. fig. 4.*

Hæ duæ Matrices è lapide calcario conſtant.

Matrix Terebratularum ſtriatarum minimarum ſubflaveſcentium, & armaturà argenteà perfuſarum ſubflaveſcens, duriſſima, & ad Pyritem proximè accedens. *Tab. 49. fig. 5.*

Matrix Terebratularum ſtriatarum minimarum rufularum, & armaturà argenteà perfuſarum rufula, duriſſima, & ad Pyritem proximè accedens. *Tab. 49. fig. 6.*

Ambæ

Ambæ Inventæ sunt in comitatu Neoburgensi prope *Hauterive*. Terebratulæ verò in iisdem locis occurrunt, in quibus præcedentes repertas fuisse diximus, & à rusticis vocantur *Heilige Geist-stein*, quia figurà suà Spiritum Sanctum è papyro albà confectum, quem in hypocaustis suis supra tabulas appensum tenere solent, præseferunt, aliis: *Gluckerenstein oder Gluckhennenstein*, quia figurà suà gallinæ incubanti non adeò absimiles sunt. *Locus.*

In nullis aliis Lapidum Figuratorum speciebus armaturæ tam frequenter occurrunt, ac in Terebratulis striatis, quod magnam fluoris, ex quo constant, depurationem, sulphurisque contenti, ac sale fuso commixti subtilitatem indicat.

LIBER OCTAVUS.

IN QUO DESCRIBITUR CLASSIS OCTAVA COMPLECTENS LAPIDES FIGURATOS TUBULOSOS, QUI TUBULITÆ DICUNTUR, CUM NONNULLIS ALIIS VARIE COMPRESSIS, INFLEXIS, ET INTER SE COMPLICATIS.

IN hoc libro Lapidibus Figuratis Tubulosis adjungere volui Lapides Figuratos variè compressos, inflexos, & inter se complicatos, quia primorum genera, & species tam paucæ sunt, ut eorum materia vix sufficiens videatur, ad librum integrum, & proprium constituendum, & eandem ob rationem huic libro quoque subjungam, appendicis loco, descriptionem calculi humani rarissimi, spiculis crystallinis ferè undiq; obsiti, cum observatione Anatomicà costarum bifurcatarum in homine Badenæ Helvetiorum exenterato observatarum.

TABULA GENERICA.

Lapidum Figuratorum Octavæ Classis.

Tubulitæ	Dentales.
	Vermiculares.
	Balanorum calices referentes.

CAPUT PRIMUM.

Lapides Figurati Tubulosi: Tubulitæ dicti.

PER Lapides Figuratos Tubulosos intelliguntur omnes ii, qui figurà suà testacea concava, & Tubulosa præseferunt, & neque ad Cochlitas, neque ad Echinitas, & multò minùs ad Conchitas referri possunt, *Tubulitæ.*

ſunt, vocanturque in genere Tubulitæ; germanicè vocari poterunt: *Rœhrliſtein*.

GENUS I.

Tubulites Dentalis.

Tubulites Dentalis. TUbulites Dentalis eſt Lapis Figuratus, qui figurà ſuà præſefert teſtaceum quoddam marinum, fiſtulæ modo longum, tantillùm incurvatum, & concavum, foris ſtriatum, longitudine digiti, è baſi latiore in acumen obtuſum deſinens, dentique alicui canino ſimile, propter quod Dentale dicitur, vocatur etiam Tubulus, ſeu Siphunculus marinus, in quo vermis deliteſcere ſolet. Germanicè illum appellarem *Zahn-Rœhrliſtein*.

Species. Species.

Tab. 50. Tubulites Dentalis major ſubcinereus ſtriatus. *Tab.* 50.

Tubulites Dentalis minor ſubcinereus.

Materia, & Locus. Materia horum lapidum ad ſubſtantiam ſeleniticam vergit; modò ſunt integri, modò intus concavi. Inveniuntur in monte Legerio, Randio, & in comitatu Neoburgenſi &c.

GENUS II.

Tubulites Vermicularis.

Tubulites Vermicularis. TUbulites Vermicularis eſt Lapis Figuratus, qui figurà ſuà preſefert teſtaceum marinum, fiſtulæ modo concavum, ſine regulà in ſpiras contortum, in quo vermis deliteſcit, & ideò Tubulus Vermicularis dicitur. Germanicè hic lapis appellari poterit: *Ein VVurm-Rœhrliſtein*, quia ſuà proprià figurà vermem convolutum eleganter repræſentat.

Species. Species:

Tab. 50. Tubulites Vermicularis maximus ſubflaveſcens, Conchitem Imbricatum involvens. *Tab.* 50. *fig.* 1.

Tubulites Vermicularis mediocris ſubcinereus convolutus, lumbricum terreſtrem præſeferens. *Tab.* 50. *fig.* 3.

Tubulites Vermicularis minor ſubcinereus convolutus. *Tab.* 50. *fig.* 2.

Tubulites Vermicularis major ſubcinereus convolutus, lapidi calcario inſidens. *Tab.* 50. *fig.* 4.

Tubulites Vermicularis minor ſubcinereus, in modum Cornu Ammonis convolutus, apertus, ut interna cavitas appareat, lapidique calcario inſidens. *Tab.* 50. *fig.* 5.

Tubulites Vermicularis minimus ſubcinereus convolutus, Conchiti Anomio ſtriato inſidens. *Tab.* 50. *fig.* 6. *Alcyonium vermiculare*, *Vermicchiara*, *Alcyonium Mileſium*, *vel tertium Dioſc. Imperat. H. N. pag.* 639. *Scheuz. fig.* 23. *p.* 18. *Lith. Helv. Vermicularia Luid. Lithoph. n.* 1212. *ad* 1221.

Tubulites Vermiculatis ſubcinereus convolutus, Cornu Ammonis ſtriato inſidens. *Tab.* 50. *fig.* 7.

Materia, & Locus. E materià ſelenitica conſtant, & in iiſdem locis cum prioribus occurrunt, excepto primo maximo Tubulite, qui in montibus comitatùs Badenſis prope *Bœtſtein*, & *Luggeren* repertus eſt.

GE-

Lapides figurati Tubulosi Tubulitæ dicti 50.

Tubulites dentalis

Tubulitæ Vermiculares



Tubulitæ Balanorum calices referentes



Vmbilicus Marinus.



Lapis Chelidonius.

Lapides figurati uariè compressi et inflexi.



GENUS III.

Tubulites Balanorum calices referens.

BAlani sunt testacea marina saxis,& rimis navium,aliisque quisquiliis marinis inhærentia, ita vocata, quia figurà suà glandem quercùs in apice pertusam præseferunt; ex parte enim superiore læves sunt, in inferiore verò asperi, per quod nostri lapides ab Alcyoniis *in Classe tertiàp.7.* descriptis, & in *Tabulà decima septimà* exhibitis, quæ Alcyoniorum more punctata,& porosa sunt,differunt, licet forsan & hæc commodè ad illud genus reduci possent. Balani à *Gesnero* germanicè: *Meereichlen* appellantur, unde & lapides illos repræsentantes *Meereichlenstein* nuncupari poterunt. *Balani.* *Quomodo ab Alcyoniis differant.*

Species: *Species.*

Tubulites Balanorum calicem referens lævis mediocris subcinereus ore latiore. *Tab.* 50. *fig.* 1. Tab. 50.

Tubulites Balanorum calicem referens lævis mediocris subcinereus ore magno quadrato tuberosus. *Tab.* 50. *fig.* 2.

Tubulites Balanorum calicem referens lævis mediocris subcinereus ore angusto. *Tab.* 50. *fig.* 3.

Quoad materiam,& loca nativa cum præcedentibus Tubulitis cōveniunt. *Materia, & Locus.*

CAPUT SECUNDUM.

Recensentur Lapides Figurati variè compressi, inflexi, & inter se complicati.

PRo complemento hujus Tractatùs post enarrationem specierum Lapidum Figuratorum perfectarum,eas quoq; recensebo,quæ imperfectæ, aut monstrosæ apparent, & quarum structura à solito naturæ cursu aberrare videtur,hunc nimirum in finem, ut postea eò faciliùs Judicium formare possimus de modo, quo hujusmodi lapides sub terrà generentur. *Species. Lapidum Figuratorū imperfectæ, & monstrosæ.*

GENUS I.

Lapides Figurati variè compressi, & inflexi.

SPecies: *Species.*

Ammonis Cornu striatum minimum principio acuminato. *Tab.* 51. *fig.* 7. Tab. 51.

Echinites Ovarius transversim compressus. *Tab.* 51. *fig.* 1.

Pectunculites striatus major subcinereus, ita transversim compressus, ut figuram triangularem efformet. *Tab.* 51. *fig.* 3.

Terebratula striata maxima subcinerea, valvà inferiore in oppositam partem reflexà. *Tab.* 51. *fig.* 2.

Terebratula striata minima subflavescens, valvà superiore ita versus inferiorem compressà, ut loco eminentiæ cavitatem efformet. *Tab.* 51. *fig.* 4.

Terebratula striata minima rufula, cardine usque ad partem oræ oppositam compresso. *Tab.* 51. *fig.* 5.

Terebratula ſtriata minima ſubcinerea, valvâ inferiore verſus oppoſitam partem inflexâ, ſuperiore verò ita in dorſo compreſsâ, ut loco eminentiæ cavitatem tranſverſam efformet. *Tab.* 51. *fig.* 6.

Tab. 51.

Terebratula ſtriata minima ſubcinerea, oris laterum interiora verſus inflexis. *Tab.* 51. *fig.* 8.

Lapides imperfecti ſeu monſtroſi opinioni Diluvianæ repugnant.

Certum eſt, quòd ſtructura prædictorum Lapidum Figuratorum variè compreſſa, & inflexa Diluvianis ſit explicatu difficillima; etenim probabile eſt, hujuſmodi conchas in mari non naſci, cùm hucuſque ſimiles non fuerint repertæ, & contentus piſcis dictas compreſſiones impediret; illas autem primùm intra montes, & arenas fuiſſe ita compreſſas, & variè inflexas, rationi, & experientiæ contrarium videtur, ſiquidem dura earum ſubſtantia potius in quamplurima fruſta diſrumperetur; ſi verò dicatur, illas intra montes delatas à vaporibus metallicis, aliiſque mineralium effluviis ita fuiſſe emollitas, ut deinceps ab incumbentibus corporibus tali modo comprimi, & inflecti potuerint: reſtat explicandum, cur ſtriæ in parte conchæ compreſsâ non ſimul fuerint obliteratæ, vel ſaltem etiam compreſsæ, cùm earum materia non minùs, ac illa conchæ debuiſſet emolliri. In opinione oppoſitâ verò hic defectus facilè concipitur; ſicuti enim videmus ſæpiſſimè fœtus in utero materno monſtroſos evadere, & modò debitis partibus carere, modò autem ſuperfluis donari, modò etiam proportionem unius ad alteram deficere, vel propter anguſtiam uteri, vel nutrimentum non debitè diſpoſitum, aut etiam quia vis elaſtica ſeminis ob copiam materiæ affluentis vel nimiùm exaltatur, vel nimiùm opprimitur, ita ſub terrâ hujuſmodi Lapides Figuratos ob eaſdem rationes in ſuo ortu à debitâ figurâ poſſe deflectere, nullus inficias ibit.

GENUS II.

Lapides Figurati Complicati.

Lapides Figurati complicati. Species.

LApides Figuratos variè compreſsos, & inflexos ſequuntur complicati, id eſt ſpecies diverſorum generum inter ſe arctiſſimè unitæ, vel quarum una alterius propriæ ſubſtantiæ immerſa eſt.

Species:

Gryphites rugoſus ſubflaveſcens, cujus cavitati matrix Cornu Ammonis immerſa eſt. *Tab.* 52. *fig.* 1.

Tab. 52.

Gryphites lævis ſubflaveſcens cum Cornu Ammonis dorſo ſuo immerſo. *Tab.* 52. *fig.* 2.

Turbinites cinereus cum Conchite ſtriato minimo ori ſuo immerſo. *Tab.* 52. *fig.* 3.

Conchites ſtriatus cinereus cum Neritite cavitati ſuæ immerſo. *Tab.* 52. *fig.* 4.

Conchites ſtriatus cinereus valvis contrario modo ſitis. *Tab.* 52. *fig.* 5.

Conchites cinereus valvis contrario modo ſitis, valvâ ſuperiore lævi, inferiore verò ſtriatâ. *Tab.* 52. *fig.* 6.

Ad Lapides Figuratos complicatos reducendum etiam eſt fruſtum Cornu Ammonis ſtriati, cujus interna facies Terebratulis minimis referta eſt. *Vid. Tab.* 22. *fig.* 1. *p.* 82. unà cum ſuo corollario, quod præſentibus Lapidibus complica-

Lapides figurati complicati.

52.



Duæ Costæ bifurcatæ in Homine Badenæ Helu. exenterato obseruatæ

Calculus Humanus Spiculis Crystallinis fere undique obsitus.





plicatis optimè quoque applicari potest, præsertim Gryphiti lævi cum Cornu Ammonis striato dorso suo immerso, illud autem hic brevitatis gratiâ lubens prætereo, & Lectorem ad locum citatum remitto.

CAPUT TERTIUM.

Enarrantur Appendicis loco duæ Observationes Anatomicæ.

DEcreveram, ut ex præmissâ hujus Opusculi Ideâ patet, occasione calculi humani rarissimi spiculis crystallinis ferè undique obsiti brevem tractatum de nephritide, & calculo humano, ejusque curâ, & prophylaxi præsenti historiæ subjungere, cùm verò hæc in nimis amplum, & præter omnem spem diffusum opus accreverit, & ille de nephritide, ejusque curâ à pluribus celeberrimis Practicis jam cum omni possibili doctrinâ, & diligentiâ elaboratus sit, illum hic ultrò supersedeo, simplici casuum expositione, calculique descriptione contentus.

Historia ægroti nephritide à calculis intra renes latentibus exortâ laborantis.

Anno renascente 1698 laborabat Rheinfeldæ nephritide è calculis intra renes latentibus exortâ, sævisq; stipatâ symptomatibus, nimirum mictu cruento, & quandoque etiam purulento, ardore urinæ quasi intolerabili, dolore pungente circa lumbos, vomitu ciborum post comestiones, aliisque levioribus accidentibus, quæ hunc morbum plerumque concomitari solent, Vir quinquagenarius, habitus obesi, & multo sero sale acri scorbutico nonnihil imbuto perfusi, unde à catarrhis pectus infestantibus, & præcipuè tempore somni tussim inducentibus valdè affligebatur.

Post hæc, remediis quibuscunque adhibitis nil proficientibus, superveniebat intumescentia pedum cum extenuatione totius corporis, quam demum excipiebat catarrhus suffocativus, quo viribus prorsus consumptis, & ad expulsionem materiæ in pectore stagnantis invalidis, 20. die Junii ejusdem anni noctu circa horam undecimam occubuit.

Descriptio viscerum demortui.

Postero die in aperto cadavere apparebant omnia viscera flaccida, & seroso sanguine imbuta, prout nimirum in demortuis cachecticis, longoque morbo decumbentibus observari solent: Facilè autem cognoscebatur, quòd toto morbi decursu pulmones, ventriculus, & renes maximam ægritudinis violentiam sustinuerint, & inter has partes præcipuè renes, in quibus primaria totius mali radix suam fixerat sedem.

Descriptio calculorũ in renibus inventorũ.

Renes omni spoliati pinguedine, & ad plumbeum quasi colorem accedentes magnâ ex parte collapsi erant, dexter tamen magis sinistro. Substantia utriusq; renis interna, tam glandulosa, quàm membranacea admodum flaccida erat, & coloris longè pallidioris, quàm communiter in mortuis comparere solet. In rene sinistro duos inveni calculos, in dextro verò tres, quorum maximus rarissimus fuit, ideòque etiam descriptione peculiari dignus; reliqui quatuor minores, licet cum majore quoad insolitam substantiam non conveniebant, tamen nec ipsi vulgaris structuræ erant; etenim è meris minimis spiculis triangularibus, vel etiam quadrangulis, & acu-

minatis coagmentati videbantur, unde eorum extima superficies ex hujusmodi spiculis conflata inæqualis erat, & superficiei fragorum maturantium simillima. Delitescebant in substantiâ renum glandulosâ, in quâ sibi cellulas efformaverant, cellulis favorum haud absimiles. Figurâ subrotundi erant, & paululum compressi, rufoque colore, vel flavescente tincti, magnitudine verò omnes ad nucem avellanam minorem accedebant.

Descriptio calculi maximi. Tab. 52.

Maximus calculus in rene dextro repertus fuit, & parte suâ subrotundâ spiculis crystallinis obsitâ integram pelvis cavitatem occupabat, reliquâ verò acuminatâ ad spicula crystallina usque substantiæ renis glandulosæ inhærebat. Magnitudine, & figurâ similis erat iconi in *Tab.* 52. exhibitæ, & pondere dimidium unciæ cum scrupulis duobus æquabat. Spicula externa, & superficiem partis subrotundæ exornantia quoad colorem, splendorem, diaphaneitatem, & figuram, quantum in corpusculis tam minutis, etiam mediante microscopio, observari licuit, cum crystallo montanâ, vel aliquo selenite crystallino conveniebant. Hujusmodi crystallos vidit etiam *Loevenhoech* ope microscopii: porrò ex calculo combusto crystalli erant pellucidæ, atque ita angulares, ac lateribus planis, ac si ipsum fuisset crystallum. Spatiola verò inter spicula crystallina relicta, quoad substantiam & colorem minoribus lapillis supra descriptis similia erant, color autem partis acuminatæ, & spiculis destitutæ saturatior fuit, & non nihil ad colorem rubrum vergebat, qui sine dubio à sanguine in rene substantiæ lapidescenti commixto derivabat.

Causa diversorum calculorum.

Hinc patet primò: Conjecturam *Clariss. Domini D. Michaelis Etmulleri Lipsiensium quondam Professoris, ac Practici Celeberrimi* Verisimilem esse, calculos renum nimirum rubros fieri, si sanguinis guttulæ ex vasculo eroso unâ ad eorum productionem concurrant, albos, si mucilago viscida ex attritis membranulis transudans simul coaguletur, rufos seu flavos verò esse solam urinæ progeniem.

Quibus addere licet, spicula tam crystallina, quàm opaca in hujusmodi calculis probabiliter crystallisationi salium in materiâ lapidescente delitescentium adscribi debere, quæ sæpiùs à liquore viscido, & terrestri nimis copioso, aut glutinoso impeditur, ut loco crystallorum crustæ sibi invicem incumbentes generentur, vel salibus omninò à liquore viscido irretitis, ut sese in sua fixatione nullo modo diffundere possint, solummodò massa lapidea silicis instar dura, & informis producatur.

Secundò: Diaphaneitatem, & opacitatem, nec non ipsos colores lapidum potissimum dependere à succo viscido, & terrestri ad generationem eorum concurrente, magis vel minùs depurato.

Altera observatio anatomica est, duarum costarum bifurcatarum in viro Badenæ Helvetiorum exenterato observatarum, quarum una sita erat in dextro, altera verò in sinistro latere.

Descriptio costæ bifurcatæ dextri lateris. Tab. 52.

Prima costa bifurcata dextri lateris tertia est, quæ haud procul à substantiâ cartilagineâ in duo crura dividitur, quorum unum obliquè sursum fertur, alterum verò deorsum usque ad cartilagineam costæ substantiam, in quâ iterum erga se invicem inclinantur, & obliquo ductu prope os sterni in unicam costam coeunt, quo figuram Rhombi regularem describunt. *Vid. Tab. 52. lit. A.*

Secun-

Secunda costa bifurcata sinistri lateris quinta est, hæc statim post substantiam cartilagineam in duo crura instar tensi arcùs dividitur, quæ, figurà ovali pollicem unum cum dimidio longà, & pollicem latà divisione suà descriptà, iterum coalescunt in unicam costam, more aliarum in os sterni abeuntem, & cum eo articulatam. *Vid. Tab. 52. lit. B.*

Descriptio costæ bifurcatæ sinistri lateris.

Tab. 52.

Vacuum à cruribus costarum divaricatis relictum, tam in hàc, quàm in alterà costà bifurcatà membranà crassà, & validà à pleurà internè costas succingente, & ipso costarum periosteo ortum suum trahente occlusum erat, per quam omnis generis vasa disseminata observabantur.

Vacuũ inter costas bifurcatas relictum.

Quod non satis mirari poteram, erat, quòd crura costæ bifurcatæ parum minora tam quoad latitudinem, quàm quoad crassitiem essent ipsâ costà, è quà emergebant.

Præternaturale autem, & monstrosum omninò est, costam bifurcatam esse; similem quoque se Hafniæ demonstrasse costam tertiam dextri lateris sterno junctam duplicato crure testatur *Bartholin. Anat. lib. 4. cap. 17.* qualem etiam à Patre suo fuisse in dextro latere repertam, scribit *Nicolaus Fontanus in Vesalium.*

Præternaturale est, costam esse bifurcatã.